* Securitas.

A

Definitio, et Etymologia.

SEcuritas, quam ἀσφάλειαν Græci vocant, eſt perfecta animi quies à timore. *S. Thom. 2. 2. q. 129. art. 7.* & deducitur ex eo, quòd ſit ſine cura; ſive ſeorſim à cura. Vide pro tranquillitate accipitur, & quiete, eſtque quædam perfectio fidentiæ, excludens timorem, & anxiam curam.

VERA IN QUOSITA.
Sententiæ et Apophthegmata.

O vita ſecura! ubi abſque formidine mors expectatur, immò & exoptatur cum dulcedine, & excipitur cum devotione. *Bernar. ad milites templi.*

Nuſquam eſt ſecuritas, fratres, nec in cœlo, nec in paradiſo, multò minus in mundo. In cœlo, enim cecidit Angelus ſub præſentia divinitatis: in Paradiſo Adam de loco voluptatis: in mundo Judas de ſcola Salvatoris. *in ſerm.*

Nihil poteſt eſſe ſecurius, quàm illa omnia committere, qui novit ſuis cultoribus congruè profutura præſtare. *Caſſ. in Pſ. 72.*

Securitas eſt, incommoditates imminentes, & rei inchoatæ fines non formidare. *Cic. in Rhet.*

B Securitas magna portio eſt, nihil iniquè facere: confuſam vitam, & perturbatam potentens agunt, tantùm metuunt, quantum nocent. *Senec. 16. epiſt.*

In ipſa ſecuritate animus ad difficilia ſe præparet, ut contra injuriam fortunæ inter beneficia firmetur. *Epiſt. 23.*

Socrates interrogatus, qui ſecurè viverent; Qui, inquit, nihil ſibi conſciunt mali, *Ant. & Max. ſerm. de curioſit.*

Evagrius, Præſtat, inquit, in ſtorea ſecūrè agere, quam in lecto aureo perturbari. *ibid.*

Pyrrho, in tempeſtate conſpiciens cæteros animo eſſe dejectos, cùm ipſe nihil moveretur: oſtendit porcellum in navi ſecure degentem, dicens: oportere, ſapientem eam animantis imitari ſecuritatem. *Laert. l. 9.*

Bion dicere ſolebat, impietatem malam eſſe contubernalem fiduciæ, & adiiciebat verſiculum *Euripidis*:

Servum facit quamvis feroculum virum.

Senſit autē Philoſophus clariſſimus, nullam omnino ſecuritatem habere locum, ubi malè ſana ſit conſcientia: non apertè poſſe loqui, cui revera impietatis vitium poteſt obiici: nec frui tranquillitate animi, qui deos ſibi non habeat propitios.

C *Laert. lib. 4. c. 7.*

☞ *Vide Otium. Quies. Vita.*

Seditio.

* Definitio, & Etymologia.

SEditio eſt, cùm populo diſcordante itur ad manus, ideòque illius proprietatem à diſſenſione civium dictam vult *Cicero l. 6. de Repub.* qualem *Virgil. l. 2. Æneid.* deſcribit:

Ac veluti magno in populo cùm ſæpe coorta eſt
Seditio, ſævitque animis ignobile vulgus,
Jamq; faces & ſaxa volant, furor arma miniſtrat.

Alioquin ubicunque multitudo eſt hominum, ibi ſeditio oriri poteſt adversùs Duces, Magiſtratus, cùm arma capiendo, tum imperium detractando. Dictam autem volunt Grammatici ſeditionem à ſeorſim dando, vel ut placet Ciceroni, à ſeorſim eundo. Differt à factione, quod illa ſit diviſio civium in diverſa ſtudia, unde factioſos dicimus, qui primates civitatis diſ- D cordantes ſectantur. Hinc Cicero, inter bonos amicitia, inter malos factio eſt. Græcis στάσι ὁ Θόρυβος ſeditio dicitur ab ἱστάναι quatenus ſignificat attollere, erigere ſe contra leges, aut ſuperiores.

* Origo, et Causæ variæ.

Seditionem movet incuria, & deſideria eorum, qui civili ſocietati præſunt. *Fr. Patric. de repub. l. 6. c. 5.*

Seditiones in Republica maximè moventur, quia alii pares eſſe volunt iis, qui plus poſſunt, & niſi hoc ſit, non acquieſcunt: alii, ſe præſtare dignos putantes iendign ferunt, niſi plus habent. *Idem. ibid.*

Seditionis initia ſeptem ſunt, vel propter lucrum, vel propter honorem, non ut acquirant, ſed quia vident alios partim injuſtè plus habere, propter contumeliam, propter metum, propter impotentiam, propter contemptum, propter incrementorum exceſſum, & puſillanimitatem, propter imparitatem. *Ariſt. Pol. 5. c. 2.*

Seditio fit propter metum, cùm qui pœnas formidant ob maleficia commiſſa, contra Rempl. inſurgunt. *Idem* E *Pol. 5. c. 3.*

Seditio fit propter impotentiam, cùm major ſit, & potentior, vel unus plures, quam ſecundùm Reip. dignitatem, & potentiam, & ex talibus fit unius gubernatio violenta. *Id. ibid.*

Fit quoq; propter contemptum, ut in paucorum potentia, cùm plures ſunt illi, qui à Republ. excluduntur, potentiores enim ſe putant in populari ſtatu opulentos, contemnentes inordinationes, & incuriam, qui gubernant. *Idem ibid.*

Seditio fit etiam per fortunam, cùm ex bello magna pars civium extenuata ſit, & debet alia ſubrogari. *Idem ibid.*

* SEDITIONUM, ET SEDITIOSORUM IN Civitatibus, Civili Bello Agitatis, luculenta deſcriptio.

Græciæ urbibus acciderunt multa, atq; atrocia in ſeditionibus, quæ ſolent fieri, & fient ſemper, donec eadem erit hominū natura, magis, aut minus crudeles, & variæ, ut mutationum circumſtantiæ erunt. Nam in pace, & rebus ſecundis univerſæ civitates, & privati homines mentes habens ſaniores. Quia non F cogit neceſſitas quærere vitæ præſidia malis modis: ſed bellum copiam quotidiani victus ſubtrahens, violentus magiſter eſt, ut ad præſentes occaſiones multorum impetus iniiciat. Itaq; civitates ſeditionum plenæ erant, & poſteriora, cum prius facta audirentur; ſuperabant illi novitate conſiliorum, cùm in excogitandis artibus opprimendi alios, tum in pœnarum crudelitate. Uſitata rerum nomina permutabantur. Prætextus cauſa, furioſa temeritas nominabatur fortitudo ſocii fidelis: conſiderata cunctatio nominabatur timiditatis excuſatio, modeſtia ignaviæ velamentum: circumſpectio in univerſum ſegnities dicebatur: præceps audacia generoſitas: ex tuto velle invadere, tergiverſatio: accendens odia, fidelis: contradicens, ſuſpectus: cui inſidiæ ſucceſſerant aſtutus, qui ſibi inſidias ſtrui ſenſerat, adhuc aſtutior: qui nolebat eſſe in partibus: diſſolutior ſociorum & adverſarios formidans: quiſq; alterum antevertiſſet in lædendo, laudabatur: ſic etiam qui id conſilium dederat non cogitanti. Cognati minus familiare erant aliis conjuratis, quià hi promptiores videbantur ad quoslibet impetus ſine excuſatione. Non enim coibant talia ſodalitia legitimæ utilitatis cauſa: ſed contra leges, injuſta cupiditate, & inter ſe fideles erant, non jure divino, ſed ſocietate ſcelerum, & qui G benè dicebantur ab adverſariis accipiebant, non ingenuitate, ſed metu, cùm ipſis proderat. Gratius erat ulciſci eum, qui injuriam feciſſet, quàm nulla injuria eſſe affectum. Juramenta induciarum propter præſens periculum facta valebant, quia nulla alia præſidia erant, ſed cùm altera pars ſibi confitebat, fidens adverſarios non munitos eſſe, dulcius erat deceptis ſpe induciarum nocere, quam apertè aliquid movere: idq; dicebatur eſſe tutius, & victoria fraudulenta ſapientiæ laudem referebat. Improbi nominabantur induſtrii, boni, hebetes: quorum alterum probrum erat, alterum glorioſum. Horum omnium cauſa erat cupiditas injuſtæ potentiæ, & dominationis: inde contentiones inter patres oriebantur. Nam potentiores civitatibus utrinque honeſto nomine, alteri ſtatum popularem, alteri autoritatem Senatoriam tribuentes: verbis quidem de Republica certabant, ſed reipſa, tanta erat acerbitas odiorum, ut alii alios penitus delere conarentur, & in pœnis finem ſtatuebant, non juſtitiam, aut utilitatem civitatis, ſed potiùs ſuam utriq; voluptatem, ſeu in condemnatione per injuſta ſuffragia, ſeu in victoria vi oppreſſis adverſariis, æmulationi, & cupiditati contentiones morem gerentes. Ita neutris curæ erat pietas: ſed qui honeſto colore aliquid lucri adepti erant, laudabantur. H Medii cives ab utraq; actione perdebantur, partim quòd non tuliſſent illis, aut iſtis, partim invidia, quòd hactenus fuiſſent incolumes. Adeò propter ſeditiones in univerſa Græcia omne genus ſcelerum extitit: Simplicitas conſiliorum, quæ maximè eſt in bonis naturis, cum riſu explodebatur: ſed diffidere ſeſe, obſervare alios, & omnia ſuſpicioſè depravare ſapientia erat. Nulla enim oratio firma, neque juramentum erat, quod ad reconciliationem prodeſſet. Quia enim aſtute ratiocinabantur, nullam pacem firmam fore, proſpicere malebant, ne quid paterentur, quàm aliis confidere. Ac ſtulti ſæpe erant ſuperiores, qui cùm metuerent inſidias, & timerent fore, ut aſtutiæ anteverterentur, ipſi priores audacter vim inferebant. Sapientiores verò etiamſi pericula prævidebant, tamen quia exiſtimabant non vitanda eſſe, quæ poſſent conſilio obtineri, imparati opprimebantur. *Thucyd. l. 3.*

* Apophthegmata.

A Democritus ſeditionem inteſtinam utrinque nocere dicebat. Etenim tum victoribus, tum victis pernicies eſt æqualis. *Stob. ſerm. 41.*

Plato remedium adversùs ſeditionem illud eſſe dicebat, ut nec extrema in aliquibus civium inopia ſit, nec ingentes divitiæ. *Idem ibid.*

SEDITIONES. TUMULTUS. Tum

Populares, urbanæ ſeditiones.

Dathan, & Abiram, Eliab F. & On Phelethi F. Rubenitæ, unà cum 250. Israelitis viris primariis, ob magiſtratus adminiſtrationem in ſolitudine Pharam contra Moyſen conjurant. Eoque nomine rupta terra vivi cum tentoriis abſorpti fuerunt: cæteris igni cœleſti abſumptis. *Num. 16.*

Demetrius argentariorum Ephesiorum Princeps, ſeditionem populi movit contra Paulum, & Apoſtolos, Chriſtum annunciantes, & Dianæ, ex qua ipſi quæſtum faciebant, idololatriam condemnantes. *Actor. 19.*

Cùm Spartani à Lycurgi legibus deflexiſſent, Rex B Agis Eudamidæ F. non tam populi ſtudio, quàm ut vetera inſtituta, quantum ejus fieri poſſet, reduceret, per Ephorum Lyſandrum novas tabulas, ut obæratis æs alienum remitteretur, & agrariam legem de partitione agrorum promulgavit: agros ſuos primùm in medio poſuit, & pecuniæ ſignatæ DC. talenta, ſubſidii loco. Cui cùm alter Rex Leonidas Cleonymi F. nobilium ſtudiis ſuffultus, reſiſteret, & uno ſuffragio ſuperior rhetram abrogaſſet: accuſatus de eo, quòd ex muliere alienigena liberos ſuſtuliſſet, regno dejectus, eique Cleombrotus gener ſubſtitutus fuit. Ejecto Leonida, Agidis conſilium de emendanda Repub. ad felicem exitum perductum fuiſſet. Verùm Ageſilaus Ephorus ſua avaritia omnia evertit. Cùm enim poſſideret latiſſimum, & uberrimum agrum, ære autem alieno multò demerſus eſſet, quia non erat ſolvendo, neque dimittere inducebat in animum agrum, perſuaſit Agidi, ſi utrumque pariter tentaretur, magnum in civitate exoriturum motum: quòd ſi novis tabulis ante deliniti locupletes forent, facilè eos, & placide accepturos legem agrariam. Idem Lyſandro, qui item ſeductus ab Ageſilao fuit viſum. Ita congeſtas in forum debitorum ſyngraphas, quas Claria appellant, omnes coacervatas concre- C maverunt. Sublata flamma pecunioſi, & fœneratores, qui ibi deambulabant, digreſſi ſunt. At Ageſilaus, quaſi illudens illis, negavit clarius ſe lumen, vel ignem lucidiorem vidiſſe. Poſtulante plebe, ut ager quoque confeſtim divideretur, imperantibuſque hoc Regibus, ſemper Ageſilaus obſtacula aliqua interponendo, & cauſando, tempus protrahebat: quoad proficiſcendum Agidi ad bellum fuit, cùm acciviſſent ſocii Achæi Lacedæmone auxilia. Ab eo reverſus, cùm interim Ageſilaus à nullo quæſtu abſtineret, Leonidas ex Tegea ad regnum revocatus eſt. Agis ad chalciœcum confugit: Cleombrotus in æde Neptuni ſupplex ſedit, quem Leonidas armis ſepſit, graviter ei ſuccenſens, quòd gener ſtruxiſſet ſibi. Intercedente aurum Chelonide filia, Cleombroti uxore, in exilium eum eiicere ſatis habuit, Agidem paulò poſt in carcere ſtrangulavit. Jam verò cùm Leonidas Cleomeni filio Agiatidem, vel invitam nuptui dediſſet, uxoris familiaritate motus Cleomenes, Agidis conſilia commendantis, Ephoros tyrannidem exercentes contra ipſos Reges ſuſtulit, æs alienum remiſit, agros ex æquo partitus eſt. Et ſic, quod vivus non poterat Agis, mortuus per uxorem impetravit, ut æqualitas à Lycurgo inſtituta reduce- D retur. *Plut. in Agide.*

Apud Naxios locupletes quidem plerique urbem habitabant, cæteri verò ſparſi per vicos agebant. In quodam itaque vico, cui nomen Leſtadæ, Telegoras habitabat prædives, ac nobilis, multæque apud plebem auctoritatis: cùm alii complures honores habebantur, tum præcipuè muneribus quotidianis civium honorabatur, adeò ut qui vendebant, ſi quis minoris liceretur, quàm vellent, dicere ſoliti ſint, ſe malle dono dare Telegoræ, quàm tanti vendere. Quidam igitur adoleſcentes cùm piſcem ingentem licitarentur, ac piſcator ex more diceret, ſe malle Telegoræ dono mittere, quam tanti vendere: moleſtè ferentes eadem audire toties, ſimulata benevolentia ad Telegoram adduxerunt emptum piſcem. Quem cùm ille libenter accepiſſet, tum ipſum adorti ſunt, tum filias jam nubiles conſtuprarunt. Quod factum indigne ferentes Naxii, arreptis armis invadere conati ſunt adoleſcentes: tantaque hinc orta ſeditio, ut Lygdamis hujus tumultus præfectus, poſt arrepta tyrannide, patriam oppreſſerit. *Ariſtot. in Repub. apud Athen. lib. 8.*

Megarenses tyranno expulſo Theagene rempublicam paulìſper in magna moderatione texere. Inde cùm affatim E meram libertatem eis concionatores propinarent: ſemel protervi cùm aliàs egerunt cum locupleribus protervè, tum ingreſſi domum ad eos, convivia, & cænas lautas poſcebant: quæ, niſi præberentur, violenter, & contumelioſè omnes accipiebant. Denique lege lata uſuras, quas intulerant, repetierunt à fœneratoribus: quod factum Palintociam dixere. *Plut. in quæſt. Græcis.*

Quo tempore Spartani Leuctrica calamitate à Thebanis affecti ſunt, in Argivorum urbe tanta ſeditio, & cædes orta eſt, quanta apud reliquos Græcos nunquam fuiſſe memoratur. Dicta eſt hæc factio Scyraliſmus, id nominis ſortita à cædis ratione, & modo. Cauſa tumultus hæc extitit. Cùm Argivorum Reſpub. per populi poteſtatem regeretur, & aliqui ex oratoribus plebem concitarent adversùs eos, qui potentia, gloriaque excellerent, accuſati conſpirabant ad opprimendum plebem: cùmque aliqui, qui cum his facere putabantur, in quæſtionibus examinarentur, cæteri tormentorum cruciatum perhorreſcentes, ipſi ſibi mortem conſcivere. Quodam autem tempore unus in quæſtionibus confeſſus effecit, ut ſibi fides haberetur, & prodens triginta ſpectatiſſimos viros, reos fecit. F Populus accuſatos morte mulctavit, & eorum bona publicavit. Cùm verò plurimi eſſent in ſuſpicione, & oratores fictis criminationibus eam juvarent, in tantum ferociit plebs, ut omnes quicunque in crimen vocarentur, quamvis multos, & locupletiſſimos homines, morti adjudicaret. Interfectis deinde potentioribus viris plus duobus millibus, & ducentis, timentes oratores, ne ſibi inopinatum aliquod malum accideret, accuſandi ſtudium deſeruere. Plebs ſe derelinqui ab eis exiſtimans, omnes eos capitis ſupplicio affecit. Inde ad priſtinam benevolentiam reverſi ſunt. *Diodor. lib. 15.*

Victis ad Anienem Gallis, Dictatore Camillo, contentio ſupererat atrocior civilis adversùs plebem. Nam victoria ferox Pop. Rom. magna vi inſtabat, ut alter conſul præter conſuetum modum crearetur ex plebe. Quæ rogatio aliquot jam annis duraverat, itaut nulli conſules, ſed Tribuni poteſtate conſulari crearentur. Ei opponebat ſenatus ſe, neque permittebat, ut dictatura abdicaret ſe Camillus, quò jus nobilitatis auctoritate, & ſummo ejus imperio tutaretur commodius. In ſenatu cùm magnam altercationem excitaſſent pugnantes ſententiæ, vicit tamen lenior, quæ concedebat, plebi, per- G mittebatque alterum conſulem ex popularibus creare. Hoc ſenatuſconſultum cùm dictator pro concione pronunciaſſet, illicò plebs haud immeritò læta, eſt ſenatui reconciliata, Camillumque ingenti plauſu, & favore deduxit domum. Is comitiis habitis, conſules creavit ex patriciis M. vel L. Æmilium Mamercum, L. Sextium, de plebe primum. *Plut. in Camillo, & Livius.*

Licinio Stolone ingentem in urbe concitante tumultum (nam plebs Romana inſurgebat adversùs patres, ut duorum conſulum, qui quotannis deſignarentur, alter ex ſuo corpore crearetur, non patritii ambo) tribuni militum creati ſunt: comitia conſularia impedivit plebs. Cùm res magiſtratibus non creatis ad graviorem ſpectaret motum, Camillus quartum dictator à ſenatu, plebe invita, creatus eſt. At ſive alterum exilium, & damnationem veritus, ut ætate jam gravi, & tantis rebus geſtis indignam, ſive tantæ plebis procellæ, & pertinaci impar, tunc quidem domum ſe recepit. In ſequentibus diebus cauſatus valetudinem, abdicavit ſe dictatura. Senatu alium dictatorem creavit. Qui magiſtro equitum dicto ipſo ſeditioni duce Stolone, legem maximè adverſam nobilitati (qua H cautum eſt, ne quis plus quinquaginta jugera agri poſſideret, permiſit perrogari. In præſentia quidem Stolon plebiſcito victor magnificus, paulò poſt convictus tenere modum agri, quem cæteris interdixerat, ſua ipſe lege mulctatus eſt. *Plut. in Camillo.*

Pop. Rom. agrum ſuburbanum, quem bello paraverat, partim vendiderat ſub haſta, partim publicum fecerat. Eum inopibus, & tenuioribus civibus ſub exigua penſione, quam ærario ferrent, locabant. Ut autem pecunioſi mercedem intendere, & pauperes cœperunt ſummovere: lex lata eſt, quæ vetuit ne quis plus quingentis jugeribus agri poſſideret. Frænavit aliquandiù hæc ſanctio cupiditatem opulentorum, ſublevavitq; egenos: qui locata retinebant, fruebanturque ſorte, quam quiſque à primo acceperat. Poſt per appoſitas perſonas transferentibus conductiones in ſe opulentis, ac denique propalam jam ſuo nomine pleraſque detinentibus, expulſi pauperes, neque ad militiam ſe præſtabant alacres, abiiciebantque educandorum curam liberorum: unde brevi Italia infrequentia laboravit

omnis

omnis liberorum hominum, & ergaſtulis completa, & A barbaricis: quibus colebant agros opulenti homines, exactis Romanis civibus. Id corrigere familiaris P. Scipionis adortu C. Lælius, quia renitentibus potentibus deſtitit tumultus metu, Sapiens eſt appellatus. At Tiberius Gracchus Tribunus plebis creatus, ei actioni illicò admovit manum, à Diophane Mitylenæo oratore, & Bloſio, Cumano Philoſopho, ut tradunt plerique, incenſus. Nonnulli Corneliæ quoque matri adſcribunt aliquid culpæ: quæ filiis crebrò improperabat, quòd populus Rom. Scipionis ſe adhuc ſocrum nondum matrem Gracchorum vocaret. Alii Sp. quendam Poſthumium perhibent auctorem fuiſſe Tiberii æqualem, atque in gloria cauſarum dicendarum æmulum: quem poſt reditum à militia offendens longè gloria, potentiaque præfulgentem, & celebrem, voluit eum tranſgredi actione ſuſcepta ancipiti, & magnæ expectationis. At frater ejus Cajus in quodam libro reliquit ſcriptum, cùm Numantiam pergeret per Hetruriam Tiberius, ſolitudinemque agrorum ſpectaret, agricolas autem, & paſtores ſervitia eſſe peregrina, & barbara, tunc primùm illam actionem, ex qua infinita iis fluxerunt mala, animo complexum. Maxima verò ex parte B ipſe ardorem, & contentionem hujus inflammavit populus, per libellos provocando cum in porticibus, muris, & monumentis proſcriptos: ut inopibus agrum publicum redderet. Legem non compoſuit tamen ſolus, ſed adhibuit in conſilium principes virtute, & auctoritate cives: in quibus Craſſus fuit Pontifex Max. Mutius Scævola Juriſconſultus, qui id temporis conſulatu fungebatur, & App. Claudius ſocer ejus. Neque videtur lex in injuriam, & iniquitatem adeò grandem fuiſſe unquam lata mitior, vel mollior: quippè à quibus exigenda violatæ legis piacula erant, & quibus cùm multi agri, quos tenebant contra legem, erant dimittendi: ab his poſtulavit, ut accepto inſuper præmio relinquerent ea, quæ iniquè uſurpaverant: redderentque ea civibus, qui ſublevandi erant. Opulenti cum homini eloquentia cauſam bonam defendenti reſiſtere non poſſent, ad unum ex tribunis convertunt, ſe M. Octavium gravibus juvenem moribus, & modeſtum, qui ſe Tiberio obiiceret, & legem antiquaret. Prævalet autem inter tribunos illius poteſtas, qui quid vetat. Nihil enim ſciſcere plebs uno valet intercedente. Hinc in- C cenſus Tiberius legi illi benignæ ſalutem dixit, gratioremque multitudini, & flagrantiorem promulgavit in fraudatores, jubens extemplò illo excedere eos agro, cui contra ſuperiores leges incubabant. Cœpit aliis legibus illicere plebem, quibus annos ſtipendiorum, contrahebat, & provocationem à judicibus concedebat ad populum: obtinentibus etiam id temporis judicia ſanatoribus parem numerum ex equeſtri ordine affundebat, atque ita vires ſenatus omnibus modis coercebat, felle magis, atque pervicatia, quàm æqui, & commodi ratione adductus. Tandem Octavio Tribunatum abrogavit Tiberius, & legem pertulit. Mox & de Attali pecunia populo dividenda lege promulgavit. Tribunatum in alium petens annum, leges ut perferret, cùm in Capitolium aſcendiſſet, Scipio Naſica in Senatu exiliens: Quando Remp. inquit, prodit conſul, ſequimini me, qui Remp. ſalvam vultis. Sic fatus, lacinia togæ capite obvoluto contendit ad Capitolium. Quotquot illum ſequebantur, toga brachium circumjecta propulerunt obvios, renitente illis ob eorum dignitatem nemine, ſed fugientibus omnibus, atque ſe mutuò obterentibus. Horum comitatus attulerat domo clavas, & ſudes. Ipſi de- D tractorum ab effuſo in fugam cætu ſubſelliorum fragmenta, & fulcra corripientes, perrexerunt in Tiberium, ſimulque ceciderunt in fronte locatos. Ipſius Tiberii fugæ conſulentis prehendit quiſpiam togam. Ille rogat relicta fugiens in tunica ceſpitavit, prolapſuſque eſt ſuper eos, qui ante eum ceciderant. Attollentem ſe princeps apertè caput ejus afflixit ſubſellii pede unus ex collegis ejus Saterejus. Secundum ictum intulit ei L. Rufus: qui de eo velut re præclarè geſta gloriabatur. Ex cœtu plus trecenti occubuerunt fuſtibus, & lapidibus comminuti, ferro nullus. Hanc Romæ primam memoriæ produnt à regno ſublato ſeditionem fuiſſe ſanguine, & cæde civili diremptam. Senatus quò populum ob ea acta leniret, neque legi Agrariæ ultra refragatus eſt, & plebi permiſit, ut Tiberii loco alium Triumvirum agris dividendis deſignaret. *Plut. in Tiberio.*

Cajus Gracchus Triumvir agrarius cùm Ful. Flacco, & Papyrio Carbone, cùm in ſecundo Tribunatu leges promulgaſſet, quas repulſam in tertio paſſus perferre non potuit, & inimici ejus L. Opimio lecto conſule multas Caii leges circumducerent, quo, cùm cauſam iræ præbuiſſet, interficeretur: toleravit id aliquandiù. Cæterùm quia ab amicis fuit, præcipuè à Fulvio Flacro conſulari accenſus, aggreſſus E denuò eſt præſidium adversùs conſulem contrahere. Qua die leges ejus Opimius antiquaturus erat, utraque pars inſederat prima luce Capitolium. Cùm rem divinam conſul faceret, unus ex lictoribus ejus Q. Antyllius auferens aliò exta ad Fulvii cohortem ait: Date locum bonis, improbi cives. Sunt, qui ferant, ſimul cum voce hac etiam nudum brachium tanquam ad contumeliam compoſitum trajeciſſe. Ibi eveſtigiò confoditur Antyllius longis ſtylis fodicatus, ad id ipſum, ut ajunt, paratis. Hæc cædes multitudinem conſternavit. Duces verò diverſè fuerunt animati. Excanduit enim Cajus, & caſtigavit ſuos, quòd colorem quærentibus jam pridem adversùs ipſos præbuiſſent adverſariis. Opimius autem ſicut anſa accepta erectus exaſperavit ad ſumendum ſupplicium populum. Regreſſi inde Patres, ſenatuſconſulto facto mandant conſuli Opimio, daret diligenter operam, ne quid Reſpubl. detrimenti pateretur, & opprimeret tyrannos. Ille cùm denunciaſſet, ut Patres ad arma irent: & equitibus edixiſſet, ſinguli, ut cum luce binos ſervos armis inſtructos adducerent: Fulvius è diverſo adornavit ſe, & multitudinem ſpoliis, quæ domi habebat, Gallis in conſulatu ſuo devictis detra- F cta: magniſque cum minis, & clamore ad occupandum Aventinum contendens noluit arma induere: verùm ſicut in forum, toga amictus progreditur, tantùm modico pugione accinxit ſe. Opimius pace, quam Fulvius per filium petebat, repudiata in Fulvii cohortem fecit impreſſionem cum multis peditibus, & ſagittariis Cretenſibus: qui potiſſimùm miſſilibus petentes adverſarios, convulnerantеſque diſſipaverunt eos. Data fuga, Fulvius in balneum contentum confugit. Mox extractus inde cum filiò natu majore, obtrumcatus eſt. Cajus verò à nemine præliari conſpectus eſt: verùm iſta fieri dolens recepit ſe in ædem Dianæ. Inde hortantibus amicis per pontem ſublicium in lucum Furinæ confugit: ubi à Philocrate ſervo, quem unum fugæ comitem habuit, volens interfectus eſt: ſive ut alii volunt, ab inimicis priùs ſervo, qui illum corpore ſuo texerat, interempto, trucidatus. Cadavera tam horum, quàm aliorum, qui trucidati fuerunt tria millia in amnem projecta, bona eorum ſub haſta vendita. Interdictus inſuper conjugibus eorum luctus Licinia Caii etiam dote ſpoliata. Adhæc necaverunt minorem Fulvii filium, qui non arma contra G tulerat, neque in cœtu fuerat præliantium: ſed ad pacificandum venientem ante pugnam corripuerunt, & poſt pugnam occiderunt. *Plut. in Cajo.*

Cùm in bello, quod Romani contra Piratas geſſerunt, Populus Romanus claſſem comparaſſet, huicque Pompejum præfeciſſet contra Senatus voluntatem, repugnantibus Patribus, plebs ſeditionem movit, atque in Senatores adhuc ſedentes impetum fecit: quos & ad unum omnes interfeciſſet, niſi de loco, vitæ conſulentes, abiiſſent. Hiſtoriam latè deſcribit *Dion. Nicæus*, & ejus abbreviator *Xiphil. in Pompeio.*

Mortuo Herode Judæorum Rege, Sabinus procurator Auguſticum legione relictus à Quintil. Varo, lucri, & prædæ cupiditate Hieroſolymitanos graviter affligebat. Inſtante Pentecoſte, magna Judæorum multitudo undique cojens, partiti trifariam caſtra, incluſos in regia Romanos oppugnare parabant. Milites magno animo repugnabant. Judæi porticus in extimo templi ambitu conſcendentes: de ſuperiore loco Romanos urgebant. Romani tandem ignem porticibus ſubjecerunt. Quarum materies, quod eſſet pice, ac cera ob H inaurationem peruncta, facilè correpta eſt incendio, quo lacunaria illa precioſa, & magnifica abſumpta ſunt, & quotquot illuc aſcenderant improviſo perierunt exitio: pars enim cum tecto ruente unà præcipitati ſunt, pars circunſtantibus telis confixi: nonnulli deſperatione ſalutis, & vi mali attoniti, aut in flammas ſe dederunt, aut ſuiſmet gladiis confecti ſunt: quòd ſi aliqui refugientes, quà aſcenderant, in tutum ſe recipere volebant, hos omnes Romani contrucidaverunt, quòd inermibus nihil prodeſſet ferocia, ita ut ne unus quidem ex his, qui tectum aſcenderant, incolumis evaderet. Tum Romani, qua ſe incendium remiſit, aliis ab aliis protruſi, penetraverunt ad ſacræ pecuniæ conditorium, cujus bona pars furto militum diſperiit: ad Sabinum autem propalam quadringenta talenta ex ea præda relata ſunt. Judæi verò duplici calamitate affecti ſunt, deſideratis in ea pugna charorum amicorum plurimis, & inſuper ſpoliato ſacrario: facto tamen globo è pugnaciſſimis circumdederunt regiam, incenſuros ſe eam, & omnes intus occiſuros minitrantes, niſi quamprimùm diſcederent. At Varo cùm duabus legionibus ſuperveniente, ſeditio compreſſa eſt, au- A ctores crucibus ſuffixi ad duo millia. *Joſeph. l.17.c.12. Antiq.*

Judæi Aſiatici conſpecto Paulo in templo Hieroſolymis, ſeditionem excitarunt, & niſi Tribunus cum Romanis militibus Paulum eripuiſſet, eum interfeciſſent. *Act.* 11.

Orta ſub Claudio Cæſare ſeditione Hieroſolymis, quoniam Miles quidam populo die feſto pudenda oſtendiſſet, Judeorum ſuprà xxx. millia à Romanis cæſa fuerunt. Quidam ex illa turba fugientes, in publica via centeſimo ab urbe ſtadio Stephanum Cæſaris ſervum iter facientem aggreſſi ſunt latrocinio, omneſque ejus diripuerunt ſarcinas: quo audito Cumanus confeſtim eò miſit milites, juſſos ut vicos loco propinquos diriperent. In hac populatione miles quidam libros Moſaicos in quodam vico inventos protulit, eoſque laceravit in conſpectu omnium, multis debacchatus & in legem, & in gentem totam convitiis. Hoc ubi ad Judæos perlatum eſt, facto concurſu, agmine magno petunt Cæſaream, in qua tum Cumanus agebat, ſupplicantes, ut non ſuam, ſed læſi numinis ulciſceretur injuriam. Tum præſes, veritus defectionem populi de amicorum conſilio mi- B litem illum violatorem legis ſecuri ferit, atque hoc modo tumultum jam repullulantem ſedavit. *Joſephus lib.20.c.4. Antiquit.*

Alexander Epiſcopus Conſtantinopolitanus Nicæni Concilii vindex acerrimus, vita excedens, duos viros populo commendaverat, doctrinæ, ac vitæ laude præſtantes, Paulum, & Macedonium. Itaque populus Constantinopolitanus comitiis Epiſcopo creando indictis, in duas abiit partes. Quarum quæ ſanior erat, Paulum, quæ Arii veneno corrupta, Macedonium legit: eaque de re magnus in urbe tumultus eſt concitatus. Ad quem ſedandum cùm ſe Conſtantinus Imperator Antiochia recepiſſet, re cognita neutrum eorum probavit, ſed Concilio Epiſcoporum Arianorum coacto, Euſebium Nicomedienſem tantorum incendiorum auctorem ad faſtigium illud evexit. Euſebius ſeſe totum ad Conſubſtantiale labefactandum, & Nicænum Concilium infirmandum convertit. Eo ſequente anno mortuo, populus rurſus diviſis ſtudiis ad comitia prodiit, ac Paulum, & Macedonium priſtinis ſedibus reddidit: atque inde acerbis inter ſe certaminibus contendere inſtitit. Conſtantius Imp. Arianorum patronus tumultu inter Catholicos, Arianoſque in dies ingraveſcente, literas An- C tiochia ad Hermogenem magiſtrum equitum in Thraciam miſit, ut Conſtantinopolim accederet, atque armis, ſi aliter non poſſet, Paulum, quem Catholici defendebant, Eccleſia pelleret. Paruit juſſis ejus Hermogenes: verùm ſtatim paruiſſe pœnituit, nam plebs Pauli ſtudio incitata ipſum tanta animorum conſtantia ſibi defendendum ſuſcepit, ut ne ipſi quidem Hermogeni adverſanti, atque armatis hominibus rem agenti pepercerit. Quinetiam eo uſque vecordiæ, furoriſque proceſſit, ut incendium ædibus, in quibus ille verſabatur, intulerit, atque inde eductum miſerabili, ac fœdo ſpectaculo traxerit, ac laceratum, & diſcerptum vita ejecerit. Quo comperto, Conſtantius gradu citato recurrit, atque inflammatus ita non ſolùm Paulum urbe exegit, ſed plebi etiam ſolemne frumenti Alexandrini congiarium, quod Conſtantinus pater dari quotannis conſtituerat, abſtulit. Macedonium tamen ſibi ſubſtituendum non duxit, quod injuſſu ſuo deſignatus fuerat, & cauſam præſenti ſeditioni attulerat. Inde per Philippum Præfectum, Paulum urbe expulit, & Macedonium ſubſtituit maximo reſiſtentis populi tumultu, atque trium millium hominum ſtrage. *Sigonius lib.5. Imp. occid.*

D Anno Juſtiniani ſeptimo, Bizantii orta eſt ſeditio, quæ teſſeram popularem dedit (hac enim nota ſe invicem conjuncta agnoverunt) expulſique ſunt cives boni, & incenſa ædificia, inter quæ & templum Sapientiæ Dei fuit: ſed repreſſa eſt à Juſtiniano, auxilii Beliſarii, ſublatis auctoribus Hypatio, & Pompejo, & trucidatis triginta millibus hominum. *Procopius Evagrius lib.4.cap.13. Niceph. lib.17. c.10.*

Quartò Juſtiniani anno, ob turpiſſimam Imp. avaritiam, & intolerabiles ſubditorum compilationes, ſeditio orta eſt Constantinopoli: in qua Imperator in vitæ diſcrimen veniſſe, & ampliùs quàm triginta millia hominum cæſa ſcribuntur. *Procop. lib. 1. belli Perſici. Zonaras tom. 3.*

Manuel Græcus Imp. an. 1180. moriens, Alexium filium annos tredecim natum tutore Alexio Protoſebato inſtituto reliquit. Alexio verò tutore Latinos immodicis honoribus proſequente, Græci indignati, vetera contracta ob ſacrorum differentiam odia incitarunt, atque Andronico Manuelis patruele ex Ponto evocato, ipſum Alexium adorti de medio ſuſtulerunt, atque inde ſævientes animis impetum in omnes La- E tinos, qui apud ſe verſabantur, fecerunt. Cæterùm primæ injuriæ monachis, & ſacerdotibus factæ. Joanni ſubdiacono legato pontificio caput abſciſſum, atque ad contumeliam caudæ immundæ canis appenſum. Mortuorum cadavera ſepulchris impiè violatis per vias crudeliſſimè, ac fædiſſimè tracta, omnibus, qui in Xenodochio S. Joannis ægri cubabant, vita ferro adempta. Pauci, quibus vitam conceſſerant, infidelibus, pecunia ad ſervitutem addicti. *Ex Choniata, & Gulielmo Archiepiſcopo Tyrio. Sigonius lib.14. Regni Ital.*

Petrus Damiani Epiſcopus Oſtienſis à Nicolao II. Papa Mediolanum miſſus, Simoniacorum, & Nicolaitarum cauſa. Cauſam legationis ad eos ſua in concione expoſuit. Ea cognita poſtridiè rumor in civitate à factione clericorum, qui uxores habebant, excitatus increbuit, Ambroſianam Eccleſiam antiquis Patrum inſtitutis liberam, nec Romanis legibus obnoxiam eſſe, neque Pontificem Romanum jus ullum in ſua Eccleſia ordinanda, atque conſtituenda habere: Itaque ſublato clamore raptim undique à tumultuantibus ad Epiſcopium concurritur: campanarum ſtrepitu, ac prægrandis tubæ clangore F urbs tota completur, ac mors legato ab omnibus intentatur: accenderat autem invidiæ flammam, quòd Petrus pridie in conventu præſidens ad dextram ſibi Anſelmum Epiſcopum Lucenſem conſtituerat: à ſiniſtra verò Vidonem Archiepiſcopum Mediolanenſem ſibi aſſidere mandarat. Perſpecta verò populi voluntate legatus poſtridiè convocato in templum populo in concionem aſcendit, atque tumultum ſedavit. *Sigonius lib.6. Regni Ital.*

An. 990. Mediolani ſeditio ingens exarſit, quæ novam Reipublicæ mutationem induxit. Quippè, Bonicius Dux ab Othone I. Imp. conſtitutus, Gothifrido Archiepiſcopo mortuo, ab Othone III. dignitatem eam Landulfo filio ſuo impetravit. Populo verò Landulfum repudiante, atque armis ab Epiſcopii aditu repellente ipſum tueri commiſſis certaminibus in urbe non dubitavit: in quibus cùm alii præclari viri tum Tatius vir potentiſſimus cecidit. Quo facto, Bonicius ipſe in lectulo ipſo furtim à Mantegatio Tatii familiari confoſſus. Landulfum inde, cùm Ducis præfecturam mandari fratri ſuo natu maximo vellet, populus ita percitus urbe cum fautoribus ejus exegit, ac Ducis magiſtratum abrogavit: conſuleſque, qui regerent civitatem, more jam in Italia inſtituto, creavit. Atque G hæc prima ſeditio civitatem Mediolanenſem in duas partes diſtraxit, nobilitatem, & plebem: quo veneno ſemel infecta, nunquam poſteà planè invaluit. Landulfus cùm comparato exercitu in aciem cum Mediolanenſibus deſcendiſſet, ac magno prælio in campo Carbonariæ ſuperatus eſſet, ad Othonem III. Imp. confugit. A quo poſt reſtitutus eſt. *Sigon. lib. 7. Regni Ital.*

Othone III. regnante, Creſcens Nomentanus Romæ ingenti favore populi conſulatum adeptus pernicioſiſſimam ſeditionem excivit. Nam ut erat altiſſimo animo præditus, non modò veterem civitati libertatem recuperare, ſed etiam Imperii titulum ſibi aſciſcere geſtiebat, ægrè admodùm ferens, eum jure quaſi hæreditario ad exteros eſſe translatum. Nam quandiù ſtirps Caroli Magni ſuperſtes fuit, Francos in poſſeſſione fuiſſe, illa extincta, cùm Italici avitam renovare dignitatem vellent, tamen inteſtinis odiis, civilibuſque diſcordiis propoſito excidiſſe. Ita rem ad Othonem Germanum hominem devolutam, ab Othone filium ad tantum faſtigium ipſo Pontifice colendo eſſe provectum, quo mortuo nepotem eo domeſticæ uſurpatione potentiæ potiùs, quàm jure aliquo aſpi- H rare: agendum igitur, atque obviàm eundum eſſe, omnique ope nitendum, ut unde emanavit, eo tandem aliquando Imperium redeat. His vocibus populus Rom. inſtinctus opem illi ſuam ad tantùm decus recuperandum polliceri, atque eum, ut in bene cœpto perſeveraret, hortari. Joannem XVI. Pontificem, ſive Reipub. ſive Othonis caritate adverſantem urbe expulit. Joannes Othonem ex Germania excivit. *Sigon. de Regno Italiæ.*

Per fas nefaſque ſceptro patrio potitus Henricus V. dimiſſo conventu Moguntino, Burgundium inviſit, Rheno contiguas perluſtrans regiones, hos beneficios, alios injurias ſibi ſubiiciens. Et cùm ad aquas rufas, Alſatiæ eſt oppidum, armis, & viris fortibus potens, Cæſareani multa ſuperbè, & avarè agerent in cives, ad arma conclamatum eſt. Fit Rubeacensium concurſus maximus, ac furore arma miniſtrante, jacula, ligna, lutum, lapides, pulviſque in adverſarios mittuntur, ac perfidi, impii, parricidæque proclamantur. Tandem Imperator cum ſuis fuga ſibi conſuluit, relictis ibi regalibus, quæ modò parenti per

per vim extorſerat. Indicium iræ Dei eſt, inquit auctor vitæ A ſenioris Henrici, ut fugeres, qui patrem fugaſti: & inſignia perderes, quæ patri abſtuliſti. Promiſerat Rubeacenſibus Imperator pacem, ſi regalia redderent. Verùm iis receptis, ſumma vi oppugnatum caſtrum cepit, diripuit, incendit, miſerèque incolas, nulla, vel ſexus, vel ætatis habita ratione, concidit.

Henricus VII. ferream imperii coronam Mediolani ſuſcepit. Hinc atque inde annitentibus diverſæ factionis in urbe principibus, inſolito civitas eſt gravata tributo: neque à rapinis Germani manum cohibuerunt, quos factioſi rerum novarum cupidi adjuverunt. Tandem ad arma eſt ventum. Germani introductis, quæ in ſuburbiis, & in agris diſperſæ erant, copiis, aperto in utramque factionem Gibellinorum, & Guelforum prælio decertare cæperunt. Sed Galleacius Vicecomes, magno uſus aſtu, Mattheo genitore domi tanquam ad arcem ſuam ſervandam relicto, Leopoldo Duci Auſtriæ, & Germanis adhæſit, ne in ſe quoque verterentur: tumultus, & plebejæ audaciæ, ac temeritatis cauſam omnem, & culpam in Turrianos referens: tyrannidem affectantes. Pari ergo odio B Germani, & Gibellini in Turrianos feruntur. Erant illi magna parte populi ſtipati, in platea ædibus Virginis ſubjecta. Sed ad primum impetum diſſipati ſunt. Pugna deinde ad vicos relata, cædes utrinque promiſcua fuit. Guido Turrianorum princeps in fugam verſus, cum ſuis Vercellas petiit. Debacchati in adverſam factionem Vicecomites, ad triginta illius primores (in quibus 4. ex Turrianis fuere) interfecerunt. Eo tumultu offenſi Lombardiæ populi à promiſſa Henrico obedientia receſſerunt: primique & eodem die Cremonenſes, & Cremenſes, impoſitum à Rege vicarium, & Gibellino, armis non ſine cæde ejecerunt. *Crantz. l.9. Sax. c.* 1.

Henricus VII. Romæ coronandus à Cardinalibus ad epulum Romanos proceres invitavit. Sub ejus finem ad ſuos, qui circumſtabant converſus, adigendos eſſe fidelitatis ſacramento omnes, qui aderant Romanos, poſcendaſque, & in cuſtodiam recipiendas Urbis arces, demumque retinendos omnes imperavit. Arces eæ, ædes erant in theatris, thermis, & vetuſti operis ædificiis, in arcis formam communitæ: quibus tunc Germanorum præſidia ſunt impoſita: cùm proceres omnes jurati retinerentur. Inſuper verò tributa popoſcit à populo, ſolito ſemper anteà, vel vicatim, vel diſperſas in multitudinem pe- C cunias, ab aliis, qui coronabantur, accipere. Commota eſt itaque civitas, & omnis utriuſque factionis tam Gibellinæ, quàm Guelfæ populus ad Urſinos confluxit: primùmque in deturbatos occupatis arcibus, poſt in alios urbem perambulantes Germanos, impetus cum cæde, & ſanguinis effuſione eſt factus. Ergo coronam (cujus in Baſilica Apoſtoli Petri de more accipiendæ ſpes omninò ſublata erat) in Laterano accepit, Tiburque migravit. *Crantz.n lib.9. Saxoniæ, c.*4.

Quo tempore Philippus Pulcher, Gallorum Rex, in Flandria rerum potiebatur, Brugis contentione inter minutam plebem, cum qua artifices, atque mercatores ſentiebant, orta, cum præterea nimium gravibus ſe oneribus premi quererentur, plebs arreptis armis, carcere liberavit Petrum cognomento Regem, lanarium textorem, & Gianbridam lanium, qui ambo propter ſeditionem in carcere erant. Illos duos multitudinis duces conſtituit, atque ipſum inprimis Petrum: quod quamquam ſtatura puſillus eſſet, tamen ob ſenium experiendo prudentiam ingentem comparaverat, & quòd cætera in ſeditioſis hominibus condire ſolet, altero captus erat oculo. His Ducibus Brugienſis plebs, non urbe modò ſua, verum à tota quoque D Flandria Gallos expulit, deletiſque eorum copiis, multos ipſorum occidit. Tandem poſt longum, ac grave bellum cum Gallorum Rege pacem inivere, & Flandrenſes, & liberi ſub Comitibus, juxta veterem Flandriæ morem, remanſerunt. *Egnat. lib.*5. *c.*3.

Circa an. Sal. 1372. in urbe Brunsuico vulgus concilium urbis invaſit: urbe quoſdam ejecit, alios oppreſſit, nonnullos ſpecie juſtitiæ publicè gladio percuſſit: unum ex proconſulibus, virum, & ætate, & mole corporis gravem, cùm vires in flectendis genibus non haberet, in ſede recumbentem obtruncavit. Obiiciebant illis, quòd populum exactionibus gravarent, & majori, quàm ulli principes impoſito onere dominarentur: idque literis ad vicinas, & longinquas urbes perſcripſere. Novum concilium ex mechanicis viris legere, Vicinæ urbes exemplum deteſtatæ, non ſunt paſſæ mercatores ejus urbis in emporiis diverſari. Hoc vocant Hanſa eiicere, & proſcribere, cùm illis privilegiorum uſu, & communione interdicitur. Sed qui intus manſere, contempſere eam animadverſionem, quæ paucos attigit. *Cranz. lib.9. Saxoniæ, c.*39.

Hamburgi pernicioſiſſima turbatio exorta de prædiis, & domibus in urbe clero quovis titulo obvenientibus. Præten- E debat clerus, deberi quoque ſibi jus civitatis non diſſimile laico populo, quòd ſacerdotia publicis rebus ineſſent: ſenatus cum civibus repugnabat. Populus non contentus jure agere, vim intulit: præpoſitus in Eccleſia pulvere in contumeliam aſperſus eſt, quòd juriſdictionem in quoſdam adulteros ſeveriùs intendiſſet: decanus gladio petitus, alii ſacerdotes affecti verberibus, & plagis. Itaque interdicitur urbi ſacris. Cedit capitulum urbe: fratres cum laico populo proterviunt: devolvitur cauſa ad Romanam curiam: diù ibi litigatur: miſſi ex capitulo, miſſi ex ſenatu duo conſulares. Clerus juſtiori cauſa ad victoriam pervenit: decernuntur literæ, accipiunturque. Interim populus ſæviens in prædia Eccleſiæ, armatus exivit, incendio, gladio, præda ſæviens in agros Eccleſiæ. In decimumoctavum annum duravit ea controverſia: & in fine poſt multos labores, poſt longa exilia, impenſas litium graves, poſt damna irrogata Eccleſiæ, à non magnis perſonis res ſuſcipitur, tractatur, componitur Clerus, & inprimis capitulum ceſſit jure ſuo: traduntur literæ: fit ad eam, quæ placuit laicis formulam, rerum compoſitio. *Crantz. lib.*8. F *Vandaliæ, c.*20.

Circa an. Sal. 1453. in oppido Luneburgo, cùm ſenatus videret æs alienum grande conflatum, ad tutelam urbis, & ad conſervationem ſalinæ (quæ vel ſola ſuſtinet ejus populi ſalutem) cæpere de proventibus Prælatorum, Eccleſiarum, & Monaſteriorum facere falcidiam grandem. Id cùm indignè ferrent Eccleſiaſtici in Romana curia convicti, condemnatique ſunt cives. Literis in eam rem impetratis, plebs admonetur, ut ſenatúm ſuum cogat reddere, quod Eccleſiaſticis deberetur: & ſi vel nollet, vel non poſſet, alios, qui id impleant, ſurroget. Plebs cupidè arripuit diù quæſitam occaſionem: ſenatum exegit, novum ſubſtituit, viros ſexaginta adjunxit, qui publica negotia unà & noſſent, & gererent, viſuros ne quid reſpublica caperet detrimenti. Homines rerum imperiti multa incurioſè tractaverunt. Principio adminiſtrationis ſuæ, principibus reddidere magno ære impigneratas arces, quo illos ſibi conciliarent. Cæterùm cùm apertè viderent inſidias fieri ſuæ libertati, Senatores ejectos revocavere, novi ſponte in exilium abiere. *Cranz. lib.*12. *Vandaliæ, c.*10.

Sub Ludovico Rege Bohemiæ, & Hungariæ ſumma ſcelerum licentia, Regis ætatem deſpicientibus improbis, eaque G ad quæſtum ſuum abutentibus. Budæ orto tumultu, Regi nihil auctoritatis affuit, & qui munia regia obibant, ipſi magis à ſuis quoque ſibi timebant, quam timebantur. Inter aliàs domos Emerici cujuſdam, nuper Judæi, tum Chriſtiani ſaltem nomine, domus direpta fuit: in cujus uno angulo ſexaginta millia aureorum nummorũ reperta ſunt. Cæteri Judæi, qui Chriſtianiſmum non ſimulabant, comparato ſibi firmo, validoque præſidio vim vi audacter repellebant. Adamum à Nova domo regni Boemiæ Cancellarium, cùm domum iturus per urbem curru veheretur, ad portam omnibus rebus ſpoliaverunt. Omne æs Cyprium, labore, & ſumptu Fuggerorum conflatum, ex omnibus regni locis, ubi depoſitum fuerat, violenter abſtulerunt, & inter ſe pro libidine ſua partiti ſunt, ampliùs quater centum millibus aureorum æſtimatum. Miſſi à Cæſare Carolo, & fratre ejus Fernando oratores, de hac injuria cum Ludovico Rege expoſtularunt, ad quem tamen nihil ejus prædæ pervenerat: immò ipſe potiùs præda omnibus erat, ad paternam redactus penuriam, ut neque in penu aliquid ei ſupereſſet, ideòque ſæpiùs alienam meſſem cogeretur metere. *Dubrav. lib.*33. H

Londinensis populus ſub Henrico VI. Anglorum Rege armis arreptis, Gloceſtrenſem Epiſcopum, cui minoris regii ſigilli cuſtodia demandata erat, occidit: atque Marchionem Suffolcenſem captum in Turri (ita enim dicitur munitus in ea urbe locus) cuſtodiri juſſit: à qua cum profugeret, in via deprehenſus eſt; atque ejus caput confeſtim Londinum miſſum. Cùm autem iratæ plebis rabiei id non ſufficeret, à Rege quidam ipſius conſilii plebis arbitrio permiſſi ſunt, quibus occiſis, populus demùm quievit. *Egnat. lib.*5. *c.*3.

Teutones Belgæ, Cucullati fratres dicti, in civitate Stocholmia, celeberrimo Sveciæ emporio, quò ob æs alienum in patria contractum fugerant, tempore Regis Alberti contra Svecos ſeditionem maximam excitarunt. Conjectis enim in indigenas convitiis, quorum ſunt impatientiſſimi Suecones, ad rixas, & lites provocavere, ut demum apud Regem delatos vita, aut fortunis ſpoliarent. Origo odii ex commerciis cæpit: quorum lucra alienigenæ ad ſe ſolos transferre nitebantur, nulla facta æſtimatione reliquorum civium. Erant autem inter cæteros A Svetici generis mercatores centum ſeptuaginta. Hos illi Cucullati in libello deſignatos Regi Alberto occultè deferunt, aſſerentes, niſi ipſi quantocyus è medio vivorum tollerentur, actum omnino fore de Teutonico nomine in ea civitate. Albertus cognita Teutonum perfidia, precibus eorum acquieſcere noluit. At eo capto à Margarita Danorum regina, Teutones illi noctu ex arce ab Alberto ſuæ fidei concredita clàm eruptionem faciunt, & duce Alffo Greverad Suetones imparatos adorti occidunt, opes diripiunt, primates in arcem ductos ſerris ligneis diſſecant: reliquos cives ex arce per naves ad proximam inſulam deportatos primùm inſigni ludibrio, deinde graviſſimis tormentis affectos, poſtremò vivos in domo quadam incluſos combuſſerunt. Anno Chriſti MCCCLXXXIX. ipſa nocte feſti Corporis Chriſti *Jo. Magnus lib.* 21. *Hiſt. Goth.*

Florentini tanta ambitione, tamque ſuperbo livore præditi ſunt, inquit Jovius, ut cùm quiſque ad clavum gubernandæ Reip. ſedere, potiri quoquo modo communis patriæ imperio, & publicas opes privato commodo complecti cupiat, ea inexplebili cupiditate ardeant omnes, & prorſus inſa- B niant, quòd neminem tanquam ex æquo civem, vel opibus, vel dignitate ſuperiorum ferre velint: & clariorem quoque virtutem, melioremque fortunam in aliena domo niſi ægris oculis conſpiciant, quando eodem ex pari merito ſibi deberi judicent. Hinc nequaquam mirari lubet, quòd inteſtinis diſcordiis ferè continenter per trecentos annos graviſſimè laborarint. *Jovius lib.*25. *Hiſt.*

Alienavit ab ſe Petrus Medices, tametſi præclaro erat ingenio, multorum Florentinorum animos, cùm juvenili quodam fervore equorum, armorumque ſtudiis, & matronarum amoribus deditus, civiles curas ignobilioribus miniſtris demandaret, & perrarò, cùm Senatus cogeretur, in curiam veniret, nunquam verò collegiorum, magiſtratuumque officiis intereſſet, quorum munia à ſummis, & graviſſimis civibus implebantur, ac demùm Laurentio patri prorſus diſſimilis evaſiſſet, qui pari cum cæteris cultu, ſine ſatellite Rempublicam feliciter ſola ingenii magnitudine fretus, adminiſtrabat. Igitur Petrus, cùm principem locum, neque armis, neque gratia ſuſtentaret, explorandos civium animos in curiæ aream proceſſit. Ubi cùm infrequentes amicos, circum ſe C verò infenſos multorum vultus cerneret, ac ſubinde ad Octoviros, qui cum vexillifero ſupremæ poteſtatis magiſtratum gerunt, aſcendere vellet, curiæ janua prohibitus eſt: mox concurſu omnis generis hominum facto, inter fremitum rebellantis populi, domum ſe proripuit, tandem urbe exceſſit. Intereà populus ad prædam converſus, domos Mediceas effregit, diripuit, ipſum cum fratribus patriæ hoſtes judicavit: ſupellectilem, precioſiſſimas ſtatuas, bibliothecam, ſub haſta vendidit. Uſque adeò autem Mediceum nomen cunctis invidioſum eſſe cæpit, ut Laurentius, atque Joannes, qui apud regem Carolum IX. tanquam exules fuerant, Petri expulſi gentiles, & conſanguinei, ut libertatis tuendæ ſtudium oſtenderent, è marmoreis antiquæ domus inſignibus pilas deterſerint, ſubſtitutaque candida cruce, uti in aliam familiam tranſeuntibus mos eſt, Populani, abdicato veteri nomine, appellari maluerint. *Jovius lib.*1. *Hiſt.*

Ad famam captæ à Caroli V. Imp. exercitu Romæ, ac obſeſſi in arce Pontificis Clementis VII. Florentinæ juventutis globus, paratiſſimis ad rebellandum animis, arma cepit, factoque impetu prætorium occupavit: cujus audiendi D facinoris princeps fuit Petrus Salviatus. Decuriones exterriti, poſtulante juventute, adhortantibuſque patriciis, decretum perſcripſerunt, pronunciandumque ad populum publico præconi dederunt, quo Medicei adoleſcentes, Hippolytus, & Alexander Reipub. hoſtes declarati ſunt, bonaque eorum fiſco addicta, & liberati nonnulli cives, qui in cuſtodia ſervabantur, quòd hoſtilem animum in Mediceos, quos appellarant tyrannos, oſtendiſſent. Ab hac tanta decreti acerbitate, cùm optimates, qui aderant frequentes, de ordinanda Republica diſputarent, Franciſcus Feltrius Urbinas, Veneti dux exercitus, & Michael Salaſſius regulus, Federicuſque Gonzaga, cognomento Bozzolus, Gallorum duces, urbem intrarunt, & invaſis, dejectiſque popularium manipulis, prætorium expugnare parabant. Certatur miſſilibus ab obſeſſis, atque obſidentibus. Cæterùm quia obſeſſis juſta ad defenſionem arma deeſſent, neque ullius eſſet in curia commeatus, cum Federicus Bozzolus ſe vadem, & ſponſorem fore ad impetrandam ab Pontifice veniam polliceretur, compreſſu tumultu, reſtitutiſque Mediceis, pax facta eſt 6. Kal. Maii ſic, ut eodem die, qui veneri dicatus erat, intra pauciſſimas horas Clemens & amiſſæ, & receptæ E ſimul curiæ, pacatæque civitatis nuncium acciperet. *Jovius lib.*25. *Hiſt.*

Genuenses, qui cuncta quondam maria pervagati, relictis ubique clariſſimarum victoriarum monumentis, cæteras gentes omni tempore navali gloria ſuperarant: cùm domi ſeditioſi, atque diſcordes ſæviſſimis factionum fluctibus mergerentur, in clientelam Sfortianorum conceſſerunt. *Jovius lib.*1. *Hiſt.*

Anno Sal. 1547. Genuæ fuit nata ſeditio in familiam Auriam, cujus tum erat princeps Andreas rei navalis peritia longè omnium clariſſimus ejuſque Reipub. beneficio Cæſaris facilè primus. Hujus verò turbæ duxerat & ſignifer Comes Filiſcus: in eaque fuit trucidatus inter alios Andreæ gentilis, atque propinquus Joanninus Auria, vir magnæ virtutis. Quòd niſi Filiſcus fortè dilapſus in mare periiſſet, in maximo diſcrimine res futura fuiſſe creditur. Sed illo ſublato ſocii facinoris diffugiunt, eamque tempeſtatem illicò ſecuta fuit magna tranquillitas. Hujus ſeditionis auctores Cæſar Farneſios, & inprimis Petrum Aloyſium Placentiæ ducem exiſtimavit. *Sabell. ſupplem. lib.*38. *ex Jovio.* F

Mazza apud Vallesianos ſeditionis popularis ſymbolum eſt, & tuba: clava lignea, monſtroſa facie inſignis. Quicunque nomen dat ſeditioni, clavum, quo equorum ſoleæ ſuffiguntur, in eam adigit, & hoc veluti ſanctiſſimus jurejurando Mazzarorum libidini ſeſe in omnibus obſecundaturum pollicetur. Conjurati Mazzaphorum ſecuti, inimicorum domos petunt, Mazzam ante ædes ſtatuunt. Ea poſita, liberum eſt cuivis tanquam proſcriptorum bona adducere, rapere, abſumere. Hoc genus cenſuræ ruſticæ, qua improbos, & patriæ noxios cives punire, & in exilium agere ſolent, A. D. 1414. primùm inventum eſt. Nam cùm Gulielmus II. Epiſcopus Sedunenſis Gitſchardo Baroni Raronenſi cognato ſuo in omnibus obſequeretur, veriti Valleſiam, ne ad tyrannidem aliquando hæc tanta evaderet licentia, ſub initia Conſtantienſis concilii Mazzam primùm excogitarunt, & Raronenſium arces fœdè disjecerunt: ut bellum graviſſimum ex Mazza ortum vix tandem Helvetiorum interceſſione diſſolvi potuerit. Hoc oſtraciſmo anno 1515. per Georgium Super ſaxum Matthæum Cardinalem expulerunt: & quatuordecim annis poſt ipſum quoque Georgium. *Stumpfius lib.*11. *Helvetiæ.* G

* Anno 1566. civiles in Belgio tumultus exoriri cœperunt, ob prætenſam novitiæ Religionis libertatem, quam factioſi quidam, ſuffragantibus Ordinum nonnullis Principibus, in diverſa ſtudia ob inteſtina quædam odia divulſis; ſupplici libello à Margarita Auſtriaca harum Provinciarum moderatrice, importunius flagitabant Bruxellæ: quos proinde Comes Barlamontius per contemptum *Geuſios*, quaſi errones ſcurras appellabat, qui etiam numero CCC. primùm, mox plures, fœdus inierunt, & inter frequentia pocula, ac ſympoſia de rebus ſuis conſultarunt, Regiiſque edictis ſeſe totis viribus opponere velle deliberarunt. Scripſit de hac ſeditionum Belgicarum origine elegantem tractatum *Florentius vander Hare Canon. Inſulenſ.* ac nuperrimè *Franciſcus Haræus in ſuis Annalibus Belgicis.*

* Cæterùm quam exigua fuerit ſcintilla, quæ jam anno 1618. grave illud incendium in Bohemia adversùs Ferdinandum Imperatorem, & Catholicos, Regniq; primates, ſic ut etiam ipſa ſceptra ad alienum Principem deferrent, & crudeliter in Proceres nonnullos deſævirent; excitavit, ſatis in omnium ore verſatur, extat ejuſdem narratio typis concepta, & pro H utraque parte Apologiæ variæ.

Caſtrenſes ſeditiones.

☞ *Conſule locum, Inimicitiæ* λῆψις, *Occaſione Stipendiorum retentorum. Item, Seditionem Caſtrenſem prudenter ſedare.*

Davidem Milites ſui lapidare volebant, eo quòd Siceleg urbs ab Amalechitis expugnata, & uxores cum liberis abductæ fuiſſent. 1. *Reg.* 30.

M. Posthumius Regillenſis Trib. Coſ. pot. exercitum in Equos duxit, fractaque paucis levioribus præliis hoſtium ferocia in Volas urbem vi irrupit. Is primò conatu prædam militum fore pronunciavit: mox capto oppido, ne quid à victore exercitu tangeretur, certamine in ſuos verſo, pertinaciter obſtitit: Alienavit ea res militum animos ab ipſo duce. Inde collegis cum in urbem ad tribunitias diſcordias coercendas revo-

revocantibus, in concione vox ejus audita eſt, malum militibus denuntiantis, niſi à ſeditione quieſcerent. Hæc Marco Sextio Tribuno plebis occaſio oblata eſt Poſthumii abſentis ad plebem criminandi: ſed major omino in caſtris ultrò ſecuta eſt, orto inter milites fremitu, cùm fortè ad tumultuantem quendam lictor miſſus, ab iis, qui proximè ſteterant, violaretur, Pub. Seſtius quæſtor eò accurrit. Is ſaxo ictus, cùm turba excederet, Poſthumius, homo væcordi ingenio, cæterùm violata majeſtate adhuc magis irritatus, cùm ad ſupplicium quoſdam rapuiſſet, vexarentque interim lictores, & centuriones multitudinem, eò militaris indignatio evaſit, ut ducem ipſum lapidibus obruerint. *Sab. lib. 7. En. 3.*

AVALASSUS Danorum dux, & Athelſtanus Anglorum Rex contra Scotorum regem Malcolmum ducebant viribus penè exhauſtum. Levi rixa inter DANOS, & ANGLOS orta, tanta contentione pugnatum eſt, ut non niſi noctis interventu à perſequendis Danis Angli cohiberi potuerint. Malcolmus ſupplicationes ſacerdotibus, univerſoque populo indixit ad gratias habendas Deo optimo maximo cujus opem fractis hoſtium viribus Scoti abſque diſpendio apertè jam ſenſiſſent. *H. Boeth. lib. 11.*

Ad famam circumventi à Barbaris ſancti Regis LUDOVICI in Francia ingens PERDITORUM manus ſpecie ſacræ militiæ paſſim vagabatur, fortunas cœterorum agentes, ferenteſque. Nec iis bellatoribus, vindicibuſque indigebat Rex. Bituriges, Aurelianenſeſque, urbes injuriarum minimè omnium patientes, armis correptis hanc colluvionem hominum partim occidere, partim ad quotidianum opus faciendum, ſanitatemque redegere. *Æmilius lib. 7.*

FLORENTINI obſidione, quam anno 1530. undecimum jam menſem toleraverant, Cæſaris Caroli V. liberati, vix dum compoſitis rebus longè graviſſimè ſalutis ſuæ diſcrimen è ſeditione militari ſubierunt. Fortè accidit, ut ex Pyrrhi Stipiciani Cæſariani ducis cohortibus, duo noti nominis MILITES, apud Hiſpanorum præſidia in rem ſuam euntes, quòd ditiore cultu eſſent, latrocinii cauſa interficerentur, atque eorum cadavera, ad occultandum facinus, in puteum deiicerentur. Qua injuria offenſus Pyrrhus, pares inſidias idoneo in loco tendens, bis totidem deprehenſos, quos patratæ cædis conſcios putarat, occiderat. Utrinque accenſis ad vindictam animis, tumultario prælio certatum fuit. Hiſpani demùm confirmatis viribus Italos nihil tale expectantes adorti multos interfecere. Tum verò Italicæ cohortes ſeſe in unum conglobarunt, & cum irruentibus Hiſpanis vehementiſſimè conflixerunt: promittentibus præſertim Germanis, neutris opem laturos. Verùm, cùm tyrones Hiſpani, qui erant trans Arnum non longè à Ladronianis caſtris, ubi erant Germani, cognito ſuorum periculo, inſtructa acie, ut veteranis eſſent auxilio, ſuperveniſſent, ſubindeque Italis creviſſent præſidia, atrox certamem contractum eſt, eoque Hiſpani jam perducti erant, ut non dubiam cladem accepturi crederentur: niſi Ferdinandus Gonzaga, Cæſariani exercitus Imp. quòd nihil deprecandoque auctoritate valuerat, Tramiſium monuiſſet, ut Germanorum phalangem promoveret, Hiſpaniſque ſe applicaret. Eo inexpectato promotæ phalangis aſpectu Italicæ cohortes commotæ, ſeſe recipere cæperunt, tanta perturbatione, ut ſuis caſtris, & tentoriis pellerentur. In eo tumultu ferunt ampliùs trecentos utrinque fuiſſe deſideratos, ſauciatos autem bis totidem: ſed Italicas cohortes majus accepiſſe incommodum, quòd rerum ſuarum jacturam feciſſent. *Jovius lib. 29. Hiſt.*

SCORDISCI à Dacis in belli ſocietatem accepti, nomen à diſcordia inuenere. Nam redeuntibus ex Aſia Gallis, cùm res haud proſperè ſucceſſiſſent, cùm per Myſias, & Pannonias iter facerent, ſpectata amœniſſimi loci fœcunditate, inter eos eveſtigiò eſt oborta ſeditio: redeundum in patriam alii, nonnulli in Pannoniis deſidendum, incolendumque ſolum, quod feraciſſimum nacti fuerant: diverſa quoque diverſi cenſebant. Quare, qui ibi remanſere ab orta diſcordia Scordiſci dicti ſunt. *Bonfinius lib. 1. Decad. 1.*

☞ *Vide infrà, Seditiones punitæ.*

Ruſticæ ſeditiones.

☞ *Vide ſub præced. Titulo, Ruſtici contra Nobilitatem.*

RUSTICI Gallici, intolerandis CARINI Cæſaris injuriis exacerbati, arma ſumpſerant. Contra eos Maximianus, à Diocletiano in ſocietatem imperii adſcitus, ducto exercitu, brevi, quàm parum arma, vireſque ſine ſcientia rei militaris prodeſſent, edocuit. Nam ad eos progreſſus, Amandum, & Ælianum duces ruſticorum robore, ac ferocia magis, quàm uſu belli, atque armorum peritia confidentes levibus aliquot præliis uſque adeò afflixit, ut poſitis armis deditionem continuò fecerint. Quos ille benignè in fidem acceptis, atque agreſtibus exarmatis, ac priſtino agrorum cultui redditis, otium turbatæ Galliæ magna clementiæ laude reſtituit, eamque novis formare inſtitutis ad pacem, dignitatemque perrexit. Itaque Mamertinus rhetor Maximianum Herculem Diocletiano Jovio tanquam alterum Jovi Herculem affuiſſe, dicere auſus eſt. *Sigonius 1. Imp. occid.*

Turcarum Imp. SELIMUS deductis ex Perſia reliquiis fines regni Hungariæ infeſtare cæperat. Thomas Archiepiſcopus Strigonienſis crucis militiam in Hungaria promulgandam à Leone X. Papa Romæ impetrarat. Facta promulgatione, vexilloque crucis ſublevato, cùm præter ſpem magnus hominum ad arma confluerct numerus, multoque adhuc major fama ejus apud Turcas increbreſceret, adſunt protinus Turcæ ultrò fœdus poſtulantes. Id quod ex voto regis pacis cupidiſſimis cecidit. At multitudo Hungaricæ plebis Georgium Cæclum ducem ſecuta, ſigno libertatis aſſerendæ propoſito, bellum ſervile in dominos ſuos movit omni ſævitiæ genere tam in agros, quàm in homines debacchata: nullum dignitati, nullum religioni, nullum miſericordiæ, precibuſque locum relinquens. Quoſcunque nobilitate inſignes comprehendit, eos capite ſtatim mulctavit, unum ex Epiſcopis in palo ſuffixit. Boemi, Moravi, Sleſitæ, agmina peditum, equitumque celeriter comparant, & ad opem principi ſuo ferendam Budam perveniunt. Horum tandem adventu latronum audacia fracta etiam duci pavorem incuſſit, ut cogeretur ultra Tibiſcum fluvium tutiora caſtris loca quærere. In hac trepidatione Joan. Trencinenſis, qui præfecturam Ciſalpinam obtinebat, cum delecto equitum robore improviſus ſupervenit, modicaque cæde turbam agreſtem ad fugam impulit: Georgio duce eorum capto coronam ferream candentem impoſuit, ac tum demùm cervicem ejus amputavit. *Dubravius lib. 32.* ☞ *Vide paulò poſt.*

Academicæ, Scholaſticæ ſeditiones.

LUDOVICUS XII. Francorum Rex, Scholæ Pariſienſis ſtatum, STUDIOSORUM privilegia reformare: fori pariter, ac judiciorum abuſus emendare, & tollere inſtituit. Schola tumultuata ſeditionem movit, Anno 1468. *Auctor Chronici.*

* SEDITIONES COMPRESSÆ.

Quomodo? oratione, facundia.

MENENIUS Agrippa vir facundus, & plebi charus in caſtra militum Romanorum tumultuantium intromiſſus priſco illo dicendi, ac horrido modo nihil aliud, quam hoc narraſſe fertur: Tempore, quo in homine non, ut nunc, omnia in unum conſentirent, ſed ſingulis membrum ſuum cuique conſilium, ſuus ſermo fuerit, indignatas reliquas partes ſuo labore, ac miniſterio ventri omnia quæri, ventrem in medio quietum, nihil aliud, quam datis voluptatibus frui, conſpiraſſe indè, ne manus ad os cibum ferrent, nec os acciperet datum, nec dentes conficerent: hac ita dum ventrem fame domare vellent, ipſa una membra, totumque corpus ad extremum veniſſe, indè apparuiſſe ventris quoque haud ſegne miniſterium, neç magis aliquam alere eum, reddentem in omnes corporis partes hunc quo vivimus, vigemuſque, diviſum pariter in venas confecto cibo ſanguinem: Comparando hinc, quàm inteſtina corporis ſeditio ſimilis eſſet iræ plebis in Senatum Romanum, ſeditioſorum mentes flexit. *Livius Dec. 1. lib. 2.*

ASTU. DISSIMULATIONE.

Sub annum Chriſti 1492. ortam ſeditionem inter AQUILONARES HOLLANDOS, occaſione Quæſtoris cujuſdam ditius tributa exigentis; at conjurationem, quæ in immenſum excreverat, diſſipavit Provinciæ gubernator, aſtutè promulgando nihil promiſſæ pecuniæ exigendum ultra fores, & ante acta oblivioni ſepelienda, quò factum, ut poſitis armis domum ſe reciperent ſeditioſi. Verùm poſt aliquot hebdomadas EGMONDIUS Gubernator ex conſilio Ordinum rebelles puniturus, militem colligit. Unde reſuſcitata ſeditioſorum ingenia, & manus ad arma capeſſenda, ac omnia tumultu replentur. Similis ſeditio exorta fuit hoc anno 1624. HARLEMI, Amſtelodami, & aliis Hollandiæ locis, ad novas exactiones ad belli ſubſidia ſuper alimentis impoſitas, quando etiam Ordines coacti revocare decreta ſua, & populum immunem ab ulteriori tributo declarare, ſeditioſos impune dimittere, & quidquid per eos inſolenter actum, diſſimulare.

* PU-

* PUNITÆ.

EXEMPLA SACRA.

GAMALIEL *Act.* 5. in conventu Judæorum, in quo cauſam dicere jubebantur Apoſtoli, dicebat: ante hos dies extitit THEODAS dicens ſe eſſe aliquem, cui conſenſit numerus virorum circiter quadringentorum, qui occiſus eſt: & omnes, qui credebant ei, diſſipati ſunt, & redacti ad nihilum. Poſt hunc extitit JUDAS Galilæus in diebus profeſſionis, & avertit populum poſt ſe, & ipſe periit, & omnes quotquot conſenſerunt ei, & diſperſi ſunt. De hoc Juda teſtatur *Joſeph. lib. 18. antiq. cap. 1. & 2.* Quod cùm populus cenſu Quirini deſcriberetur, indignum ratus, & contra leges patrias Judæos alienigenis tributum pendere, populum ad defectionem ſolicitarit, cenſum nihil aliud eſſe, quam ad manifeſtam ſervitutis profeſſionem dictitans, & univerſam gentem ad tuendam libertatem adhortans, fore enim ut re bene geſta fortunis ſuis fruantur feliciter, & confirmati in earum poſſeſſione, laudem quoque ſibi parent fortitudinis, nec ſperandum auxilium cœleſtis numinis, niſi quoque ipſi ſuis rebus conſulant, accipiuntur hæc pronis vulgi auribus ita, ut accenderentur ad audiendum aliquid. Atque ita dici vix poteſt, quantum hi viri totam gentem conturbaverint, dum omnia miſcent cædibus, & latrociniis, promiſcuiſque nullo, vel amicorum, vel inimicorum reſpectu, prædationibus, & inſignium virorum cædibus, prætextu quidem propugnandæ libertatis publicæ, revera privatorum lucrorum ſtudio; itaque conficientibus ſe mutuo civibus, & furioſiſſima contentione certantibus, ne externus quidem hoſtis ceſſabat interim, ac ne extrema quidem fames fortè ſuperveniens eos potuit compeſcere, &c. De Theodæ ſeditione, & interitu hæc refert *Joſephus lib. antiq. 20. cap. 2.* Fado procuratore apud Judæam præſtigiator quidam nomine Theodas, perſuaſit magnæ vulgi multitudini, ut aſſumptis ſuis facultatibus ſequerentur ſe ad Jordanem fluvium, Prophetam enim ſe jactabat, promittens ſe verbo ſciſſurum fluvium, & facilem præbiturum tranſitum, talique promiſſione permultos ſeduxit, at Fadus effecit, ut nihil lucri facerent ex ſua inſipientia, immiſſis in eos turmis equitum, qui ex improviſo irruentes ex his multos interemerunt, multos vivos ceperunt, & in his ipſum Theodam, cujus caput abſciſſum reportarunt Hieroſolymam.

HISTORICA.

Anno Chriſti 44. Cùm princeps Apoſtolorum PETRUS in principem Urbem Romam veniret, & CAMILLUS Scribonianus Præfectus Dalmatiæ adversùs Imperat. Claudium rebellaret, militeſque ad defectionem ſolicitaret, ipſa ſigna militaria (teſte *Dione lib. 60.*) aquilæ dicta, ſic ſolo affixa manſerunt, ut nulla vi militum dimoveri loco poſſent. Quo prodigio immutatus militum animus in auctorem ſeditionis arma convertit, ſicque ingens bellum civile excitatum ex inſperato divinitus fuit ſedatum, & compreſſum, haud dubiè ob adventum Apoſtoli Petri, & tenera Chriſtianorum germina, vix dum adhuc pauca ad ſanctæ fidei profeſſionem, erumpentia. *Oroſ. lib. 7. cap. 6.*

Sub annum Domini 1514. factus eſt circa HUNGARIAM concurſus hominum agreſtium, qui Ducem ſibi adſciverunt GEORGIUM Sichelium, hominem audaciſſimum, ut à cervicibus ſuis jugum nobilium excuterent, totique Hungariæ minabantur exitium. Itaque aliquot nobilibus cæſis, eorumque uxoribus & filiabus vi illata, arcibus, & oppidis nonnullis direptis & incenſis, ac Georgio Antiſtite Cinadii oppidi crudeliter interempto, aliiſque ſceleribus perpetratis, nobiles, arma corripere, vim vi repellere. Et ut rarò antecedentem ſceleſtum deſervit pede pœna claudo; ſic mox cæſi ſeditioſi, eorumque Princeps Georgius à Joanne Vayvoda captus, omni ſuo exercitu exutus, nudus in equuleum extenſus, coronaque ferrea candenti coronatus, multiſque immaniſſimis tormentis excarnificatus fuit. *Surius in comment. rer. geſtar.*

Seditio illa, cujus ſupra meminimus, quæ inter Aquilonares HOLLANDOS anno 1492. excitata, & bonam Hollandiæ partem depopulata fuerat, tandem hunc exitum habuit. Egmontius Provinciæ prorex exercitu coacto, copias ſeditioſorum variè trucidavit, & advocato Saxone in auxilium, vires eorum ita labefactavit, ut de pace ineunda conſilia agitarent. Itaque ea coaluit his pactis, ut nocentes arbitrio Saxonis punirentur, innocentes dimitterentur. Et pro belli impenſis ſolverent conjurati ducenta quinquaginta millia florenorum. Pactis his ſignatis, tribus Præfectis caput amputatur: Alii in genua procumbentes veniam impetrant. Harlemenſes, ut mulctam ſuam exſolverent, ad publicam ædem, auream, & argenteam ſupellectilem detulere, eaque ratione militi, qui eos domuerat, ſatisfactum. *F. Hareus in Chronico ad an. 1492.*

Etiam nuperis tumultibus BOHEMICIS, quorum paulò ante ſummarium dedimus, finem optatum impoſuit Ferdinandi Imperatoris magnanimitas, qua numeroſo exercitu conſcripto Rebelles invaſit, fugavit, & ad extrema redegit, Fredericum Pſeudo regem expulit, Pragam occupavit, de principibus ſeditioſorum publicum ſupplicium ſumpſit, & conjuratos omnes arma ponere coegit, quæque anteactus furor everterat, in integrum reſtituit, vireſque Proteſtantium ita cominuit, ut etiamſi vel maximè velint: ultra in rebellionem aſſurgere, non valeant.

Nihil in Annalibus frequentius, aut magis obvium, quàm ut ſeditiones militum variis ex cauſis ortæ narrentur. Certè qui Belgicorum tumultuum initia, & progreſſum ſcribunt, particulatim meminerunt variarum ſeditionum, quas HISPANI milites, qui primi hic earundem extitere auctores, excitarunt, ob dilatam ſtipendiorum menſtruorum ſolutionem. Ita ut huic malo debeamus Regis Catholici jacturam, & Belgicæ dilacerationem. Siquidem ſtatim exorto bello anni 1572. Albano gubernacula tenente, poſt deditum Harlemum, ſtipendia inclamarunt; Sed id longè inſolentius biennio poſt, quando illis XL. florenorum millia, & vix altero biennio exacto, menſe Novembri, eamdem civitatem crudeliter diripuerunt. incenſa Æde Senatoria, ac aliis barbaricæ tyrannidis editis portentis, quando & munitiſſima Hollandiæ oppida, paulò ante magno molimine occupata deſeruere, ac Rebelli hoſti, qui tum viribus debilis erat ultrò reliquere. Horum & impulſu, & exemplo etiam aliæ nationes frequentius tumultuatæ magno Reipub. incommodo. Sic ut ejuſmodi inſolentiarum Pertæſus Albertus Auſtrius nuper defunctus Belgarum Princeps, anno 1606. cùm rurſus imperata facere detrectarent, perſolutis ſtipendiis, quæ debebantur, edicto caverit, ut omnes qui ab initiis tumultuum ſeditione excitata infames eſſent, intra diei artificialis ſpatium ditionibus & ſuis, & Regiis excederent, facta poteſtate cuilibet, illo evoluto, eos trucidandi, bonaque eorum diripiendi. Atque hac caſtigatione edocti fuerunt, nè tam temerè ſeſe Principibus, quibus ſe obſtrinxerunt, ob dilatam aliquando juſta ex cauſa ſolutionem inſultent, & in eorum ſubditos pro libidine debacchentur. *Beyerlinck in Suppl. Opmeri an. 1606.*

☞ *Pleraque Punicæ Seditionis exempla petantur ex Loco de Pœna, & Punitione.*

* HIEROGLYPHICA.

Popularis ſeditionis ſtudioſum hominem ſignificare, qui volunt, locuſtas duas marinas ſe invicem incurſantes pingunt. Videre enim eſt ſæpe univerſas, tanquam gregis collegium celebrare, dimicare interim inter ſe cornibus, arietum modo, ac mutua flagellatione invicem ſævire. *Pierius lib. 28. c. 54.*

E re corporis humani eſt, putridum membrum maturè abſcindere, ne pars ſincera trahatur, & ſocietatis humanæ (quam cupimus ſalvam) intereſt, pernicioſos cives, ſeditioſorum capita, tollere de medio, ne malum paucorum ſerpat in totum corpus publicum. *Hierogl. Collect.*

Inter macerias, & ædificiorum ruinas creſcunt herbæ noxiæ: & inter regnorum, civitatumque factiones, caput tollunt ſeditioſi, qui fortes, pios, potentes, & bene meritos viros de gradu deiiciunt, atque facultatibus, honoribus, vita crudeliter ſpoliant. *Anonymus.*

☞ *Vide Bellum, Diſcordia, Inimicitię.*

Sedulitas.

☞ *Vide Diligentia. Labor.*

Segnities.

☞ *Quære Tarditas. Negligentia.*

* Sella.

DEFINITIO, & ETYMOLOGIA.

SELLA idem quòd ſedes, à ſedendo dicta, velut Seddæ, κατ' ἀντίστοιχον. quamvis ſella pro ſede honoratiore, qualis Imperatoribus, & Conſulibus tribuebatur honoris ergò, uſurpetur. Sellaria eſt locus, in quo ſellæ collocantur.

M GENE-

Genera Varia.

A Varia Sellarum genera apud veteres reperimus, quarum quædam vocabantur Sellæ Conſulum, eæ, quæ duplices erant, Curules, & Geſtatoriæ.

Gabius Baſſus in ſuis Commentariis, dicit Senatores in veteri ætate, qui curulem Magiſtratum geſſiſſent, curru ſolitos honoris gratia in Curiam vehi, in quo curru ſella eſſet, ſupra quam conſiderent, quæ ob eam cauſam curulis appellaretur, ſed eos Senatores, qui Magiſtratum curulem nondum ceperant, pedibus iviſſe in Curiam, ait *Gellius lib.3.c.*18.

Auſonius in grat.act. Iſta autem ſedes honoris, ſella curulis, glorioſa popis imperialis officii, in cujus me faſtigio poſuiſti.

Ea fuit ex ebore. Curules eboreos conſulum vocat *Sidon. l.8.ep.Caſſiodorus lib.2.ep.*1.*Horat.ep.*1. Curul. ebur. *Auſonius* ebur *ep.*20.

—— & tua Roma
præceſſit noſtrum ſella curulis ebur.

Sellæ curules Conſulum excelſæ, ac ſublimes fuere, præto-
B rum, Tribunorum, Senatorum omnium humiles. *Lucan. l.*5.

Ut primùm mæſtum tenuere ſilentia cœtum,
Lentulus è celſa ſublimis ſede profatur.

Quare per gradus ad ſellam curulem aſcendendum fuit. *Plin. in Panegyr.* Aſcendere curulem, induere prætextam.

Ea variis ſignis ſculpta fuit. *Ovidius.*

Conſpicuum ſignis cùm premet altus ebur.
Signa quoque in ſella noſſem formata curuli.
Et totum Numidæ ſculptile dentis ebur.

Imperatores ſæpè inter duos Conſules in ſella curuli, aut tribunito ſubſellio ſedebant. Hic honor Julio Cæſari primo omnium eſt habitus, ait, Deo ὡς ἐπὶ ἀρχικοῦ δίφρου μετὰ τῶν ἀεὶ ὑπάτων ἐν τῷ συνεδρίῳ καθίζῃ. Ut in Senatu inter Conſules in ſella Curuli ſederet. Idem Auguſto tributum: ἐν μέσῳ τῶν ἀεὶ ὑπάτων ἐπὶ τοῦ ἀρχικοῦ δίφρου καθίζεσθαι, ait *Dio.*

Alia fuit ſella geſtatoria, qua per urbem, & agros à lecticariis ſervis geſtabantur. *Claudianus Panegyr. Honor.* 4. *Conſulis.*

Portatur juvenum cervicibus aurea ſedes
Ornatuque novo gravior Deus.
—— Auſonio cum jam ſuccinctus amictu,
Per Ligurum populos ſolito conſpectior ires,
Atque inter niveas altè veherere cohortes,
Obnixiſque ſimul pubes electa lacertis
Sidereum portaret onus.

C Aureata, & bracteata ſedes dicitur *Sidonio ep.* 8. *l.* 8. emeritum aurum *Carm.* 2. *de Antonio.*

Hinc reduci datur omnis honos, & utrinque magiſter
Militiæ, Conſulque micat, conjuncta poteſtas
Patricii, celerique gradu privata cucurrit
Culmina, conſcenditque ſenum puer ipſe curulem,
Sedit & emerito juvenis veteranus in auro.

Sella autem curulis, ut plurimùm, quatuor lignis incurvis conſtitit, funibus ita vincta, ut aperiri, claudiq; poſſet. In aperta ſedebatur, ſuper loris, & linteis. *Martialis lib.*2. *ep.*57.

Quem grex togatus ſequitur, & capillatus,
Recenſque ſella, linteiſque, loriſque

δίφρον ἀγκυλόποδα vocat *Plutarchus in Mario. Suetonius lib.* 2. Laxatis ſellæ curulis compagibus. Caligula inter duos Conſules medius in ſella aſſidere ſericis velis tectus; & in foro, & in Senatu ſolebat. ἐν δίφρῳ μεταξὺ τῶν ὑπάτων καθεζόμενος ἐπὶ τοῦ βήματος ἐν τῇ ἀγορᾷ ita ſcribit *Suetonius de Claudio*, De majore inquit, negotio acturum, medium inter Conſulum ſellas tribunitio ſubſellio ſediſſe. Erat inſuper ſella imperatoria, ſive
D regia, quam ſolium appellant, & thronum, quo in Senatu aliis eminebant Imperatores, aut Reges, & certamina, ſive gymnica, ſive equeſtria ſpectare ſolebant. Vocabant eam ſellam variis nominibus, tribunal, ſuggeſtum βῆμα eam nuncupantes. Ita *Apimianus lib.*6. Valentinianus permiſſus tribunal aſcendere, celſius ſtructum &c. rector pronuntiatur imperii.

Claudius ludos è tribunali poſito in Orcheſtra commiſit. *Ammianus l.* 15. Constantius tribunali altiorem ſuggeſtum recto, quod aquilæ circumdederunt, & ſigna.

Senatus.

Definitio, et Etymologia.

Senatus à ſenio, aut ſinendo dictus, quòd Senatores, & viri ætate graves, & judicio maturi eligerentur, quibus non aliud dicebat, quàm quòd lex, aut Imperator eos facere ſineret. Græcè βουλὴ, γερουσία Hebraicè *Schabbar*, porta. In portis enim olim judicia fieri conſueverunt, & Senatores Zakenim dicebantur à verbo Zakin, ſenuit.

Senator in ſenatu auctor eſſe debet ſententiarum Reipu- E
blicæ conducibilium, etiamſi parum jucundæ auditu fuerint, & aliis in concione adulationis reliquando, contentus rebus utilibus, increpans, admonens, caſtigans, non arrogantem inſanamque, ſed ſobriam libertatem proferens. *Phil.Judæ. de Joſeph.*

Senatus Perpendatur Materia.

Romanus Senatus adeò ſemper magni religionem fecit, quemadmodum *M. Varro ad Cn. Pompejum* ſcribit, in libro ubi ratio, locuſque habendi Senatus oſtenditur, ut nil aliud priùs quàm quod ad religionem pertineret, proponeretur: nullaque, quanquam gravior cauſa, vel quæ celeritatem requireret: hunc morem antevertebat.

Forma Consultationis. Rogatio. F

Apud Athenienses in frequenti ſenatu pro cujuſque ætate ſententiæ rogabantur. *Alex. l.* 4. *c.* 11.

Lycurgus, cùm eſſent adoleſcentes loquaciores, & in conciliis obſtreperent, cavit edicto, ut nemo in foro, nec in publico conſeſſu diceret, niſi Regibus permittentibus. *Idem.*

Apud Heduos fuit conſtitutum, ut qui in ſenatu ſententiam dicit, ex eadem familia neminem rogare poſſit, quid eſſet ſententiæ & opinionis ſuæ. *Idem.*

Romæ ante legem de Senatu habendo latam, ordo rogandi ſententias varius fuit. Aliàs primus rogabatur, qui à Cenſoribus Princeps in Senatum lectus fuerat: aliàs qui deſignati Coſſ. erant. Quidam à Coſſ. ſtudio, aut neceſſitudine aliqua adducti, quem iis viſum erat, honoris gratia extra ordinem ſententiam primum rogabant. Obſervatum tamen eſt, cùm extra ordinem fieret, ne quis quenquam ex alio quem ex conſulari loco ſententiam primam rogaret. C. Cæſar in conſulatu, quem cum M. Bibulo geſſit, quatuor ſolos extra ordinem rogaſſe ſententiam dicitur. Ex iis quatuor, principem rogabat M. Craſſum. Sed poſtquam filiam Cn. Pompejo deſponderat, primum cœperat Pompejum rogare. Teſtis Tyro Tullius M. Ciceronis libertus, qui hoc ſe ex patrono ſuo audiſſe ſcribit.
Idipſum *Capito Atteius in lib.de Officio ſenatoris* confirmat. G
*Gellius lib.*4. *c.* 10.

Augustus ſententias de majore negotio, non more, neque ordine, ſed prout libuiſſet, prærogabat: ut perinde quiſque animum intenderet, ac ſi cenſendum magis quàm aſſentiendum eſſet. *Suetonius.*

Dictio.

Athænis præcone pronunciante in theatro, vel curia ſtantes decernebant, quid ſuæ opinionis foret. *Alex. lib.* 4. *cap.* 11.

Syracusanus nemo ſententiam dicit rogatus, ſed ut quiſque ætate, & honore anteit, ita ſua ſponte, quid ſui conſilii ſit, in medium affert, non rogatus: aut ſi tacent omnes, fortè dicere coguntur: quibus in uſu erat, ut in concionem prodituri, per literarum elementa ſorte educerentur. Quare Dionyſius proditurus, cùm M. ſortitus fuiſſet, futuram ſibi Monarchiam cavillatus eſt. *Alex. lib.*4. *c.*11.

Romæ jus ſenatori erat, ut rogatus ſententiam, perpetua
oratione, & quam voluit diù, dicendo diem abſumeret: adeò H
ut nonnullos horis ſeptem, pleroſque dies totos concionem in ſenatu habuiſſe tradant. *Alex. lib.* 4. *c.*11.

Suffragatio.

Regibus Lacedæmoniorum binos calculos ponendi, cùm ſententiam dicunt in ſenatu, facultas erat: tertium verò, ſi quid pro ſe decerni vellent. *Alex. lib.*4. *c.*11.

Pedarii ſenatores Romæ dicebantur ii, qui in ſenatu quidem ſedebant, verùm ſententiam non rogabantur, ſed in aliorum ſententias pedibus diſcedebant. Unde referente Feſto Pompejo in dictione, Pederius, à Lucilio dicti ſunt Agipedes, quòd pedum diſceſſione dicerent ſententiam. *Gellius noctium Atticarum lib.* 3. *cap.* 18.

Veteri conſuetudine, quoties ingens erat turba ſuffragia ferentium, pedibus diſcedebant in ſententiam. *Liv. decad.* 1. *l.* 7. Ubi ſententiam meam vobis peregero, tum quibus eadem placebunt, in dextram partem taciti tranſibitis: quæ pars major erit, eo ſtabitur conſilio aliquanto pòſt? Quibus hæc ſalutaria videntur, agite dum in dextram partem pedibus tranſite. Omnes

A Omnes tranſierunt, vadentemque per intermiſſa cuſtodiis loca Decium ſequuti ſunt. *Eraſm. in Adagiis.*

Qui vultu, ac geſtu ſignificant ſe aſſentiri, Toto corpore in ſententiam diſcedere dicuntur.

Suffragiorum genus, quòd porrectis manibus peragitur, Græci vocant χειροτονεῖν, & χειροτονίαν, quàm vocem uſurpant & ſacræ literæ. *Vopiſcus in vita Aureliani Imperatoris* indicat, & manuum porrectione ſententiam alienam cõprobari ſolere.

Efficiens Princeps. Senatores Quales, Quo ad Officium.

A Lycurgo Spartanorum legislatore Seniores conſtituti, qui de republica cum regibus, qui duo erant numero creati, conſultarent. Is ordo velut arbiter fuit inter regiam poteſtatem, & vim multitudinis, ne aut hæc contumacia ſæviret, aut imperio illi. Octo & viginti ſeniores (tot enim Ariſtoteles fuiſſe ſcribit) duobus regibus aſſidebant, ne nimiùm Demo-
B cratia invaleſceret providentes: & rurſus ne, qui regnum tenerent, tyrannicum quippiam molirentur. Quæ hic ordo decreviſſet, cætera multitudo ut ſciret, neceſſe erat. *Sabellic. lib.*1. *Enneadis* 2. Hi autem veluti præſides & reipub. cuſtodes, tantæ auctoritatis fuere, ut ſi populus, regem aut magiſtratum quempiam juſſiſſet, id ſic ratum foret, ſi ſenatus auctor fieret. Leges quoque à populo latæ haud aliter ratæ fuerunt, quàm ſi patrum conſenſu approbarentur. In reliquis verò ita præſcripta ſenatus poteſtas erat, ut Judicium populi auctoritate ſenatus reſcindi non poſſet. *Alex. l. cap.* 11.

Romæ ſi, cùm ſenatus cogendus foret, ad conſulis edictum non convenirent, aut contumaciùs parerent, pignoribus, & mulcta plectebantur. Si qui tamen ſenatores quintum & ſexageſimum annum ætatis exceſſiſſent, eos cogi invitos, aut contumaces pignore, vel pecunia plecti non licebat. *Alexand. lib.*4. *cap.* 11.

Mores, Virtutem.

Pacuvius Calanus, ſenatus Campani periculum, quòd ei à plebe Hannibalis opibus poſt victos ad Thraſymenum Rom. faventi imminebat, ingenioſè diſcuſſit. Namque plebi
C de perdendo Senatu morem ſe gerere velle oſtendit, ut tamen antè de alio ſufficiendo Senatu paciſceretur. Cùm ergo ſenatorum damnatione incepta, ipſius plebis judicio non inveniretur, qui honeſtè in Senatu legi poſſet, deteriorumque electionis puderet, atque res eò vergeret, ut nihilominus omnes in damnatorum locum ſufficì ſe cuperent: quia alia ratio tollendæ contentionis, meliorumque habendorum non erat, de Senatus mutatione integra res relicta eſt. *Fulg. lib.*7. *c.*3.

Constantinus Magnus Imp. victo Maxentio tyranno, Romano ſenatui auctoritatem priſtinam reddidit, ac dignitatem ejus in perpetuum curæ ſibi fore ſpopondit optimatibus in Senatorium ordinem ex omnibus provinciis lectis, ut ſenatus non tam nomine, quàm re illuſtrior eſſet, cùm ex totius orbis flore conſtaret. *Sigonius lib.*3. *Imp. occid.*

Sexum.

Lege ſancitum fuit Romæ, ne mulieres cujuſvis negotii cauſa ſenatum, aut curiam adirent, niſi quòd Heliogabalus Senatulum mulierum in colle Quirinali conſtituit primus: qui præter mores, inſtitutaque majorum, ut ordine ſenatorio mater admitteretur à ſenatu, pervicit. *Alex. lib.*4. *cap.* 11.

Claudii, & Neronis Impp. tempore, cùm non pro di-
D gnitate videretur, Agrippinam patrum conſultationibus admitti, decrevere patres, ut à tergo abditis foribus ſtaret, velo diſcreta, quod viſum arceret, auditum admitteret. *Alex. lib.*4. *cap.* 11.

Ætatem.

Apud Bithynos, minorem annis triginta in Senatum adſciſcere nequaquam licebat.

Senes Lycurgus primùm eos, qui cœpti ſui fuerant participes, deſignavit Senatores, numero 28. iiſque duos addidit reges. Deinde in locum demortui ſuffici juſſit eum, virtute qui eſſet præſtantiſſimus judicatus, ſexaginta annis major. *Plutarch.*

Augustus Cæſar liberis Senatorum, quò celerius Reip. aſſueſcerent, protinus virilem togam, latum clavum induere, & Senatus intereſſe permiſit. *Suetonius.*

Idem, ut niſi exacto quarto, & vigeſimo ætatis anno in Senatum neminem admitterent, præter admodum paucos, ob correptam virtutis indolem, edicto cavit.

Romani pueros patricios cum parentibus in Senatum duci permittebant, ut conſiliis ſapientûm jam inde à teneris aſ-
ſueſcerent. Duravit ille mos uſque ad Papyrium Prætextatum. E
*Macrob.*1. *Saturn. cap.*6. & *Gellius lib.*1 *cap.*23.

Veneti, in feſto die D. Barbaræ, juvenes aliquot patricios, qui vigeſimum ætatis annum impleverint, in patrum, principiſque collegium ſorte extrahunt, qui in majoribus comitiis jus ferendi ſuffragia habeant. Alioqui enim ante 25. annum in Senatum non admittuntur. *Egnatius lib.*3. *cap.*2. & *Sabellicus de Magiſtr. Ven.*

Opulentiam.

Cenſus ſenatorius apud Rom. olim ad nummos octingentorum millium fuit: quem Cæſar Auguſtus, & ſequuti principes ad duodecies centies ſeſtertium auxerunt: & ne quis eorum inops, aut egens foret, illos largo viatico, & magnis muneribus proſequuti ſunt. *Alex. lib.*4. 11.

Allecti, inquit Festus, dicebantur apud Romanos, qui propter inopiam ex equeſtri ordine in ſenatorum erant numerum aſſumpti, nam Patres dicuntur, qui ſunt patricii gene-
ris; Conſcripti, qui in ſenatu ſunt ſcripti, annotati. *Hotomanni. de Verbis juris.* F

Patriam.

M. Antoninus Philoſophus, ut ſenatores peregrini quartam bonorum, & fortunarum ſaltem in Italia poſſiderent, lege ſanxit. *Alex. lib.* 4. *c.* 11.

Dignitatem, Cenſum.

Romulus condita urbe, omnes ſpectata virtute viros, & quibus tum filii eſſent, pollerentque inter alios opibus; ab ignobili multitudine diſcretos, Patres appellavit. Eorum progenies Patricii deinceps dicti. Patres dictos ferunt, quòd liberorum ingenuorum eſſent parentes: alii, quòd parentes ſuos laudare poſſent: quod ex colluvie illa civitatis prima licebat paucis. Sunt, qui à patrocinio, Patronum quendam, qui ſecutus fuerat Evandrum, advenam defenſorem inopum, & vindicem, huic rei nomen arbitrantur tribuiſſe. Verius videatur, Romulum, principum, & potentiſſimorum cenſentem partes eſſe, ut patria cura & ſollicitudine complecterentur demiſſiores: ſimulque docentem plebem, ne timerent præſtantiores, neve inviderent honoribus eorum, ſed uterentur iis cum benevolentia, ac duce-
rent patres, appellarentque, id nomen his dediſſe. Nam G
nunc quoque ſenatores, cum ampliſſimo, & honoratiſſimo, tum minimè invidioſo nomine, Patres Conſcriptos vocant: principio Patres tantùm, pòſt numero amplificato (vel cùm Sabini à Tito Tatio ſunt Romam traducti, & in Senatum allecti: vel quando L. Tarquinius Priſcus centum allegit, qui Minorum gentium patres ſunt dicti, & ccc. facti, qui prius cc. fuerant) Patres Conſcriptos appellavere. Atque eo tam venerando vocabulo populum à ſenatu diſtinxit, Cæteros deinde, quibus majores erant opes, ſecrevit à plebe, appellavitque Patronos illos hos Clientes. *Plut. in Romulo.*

Augustus Cæſar comitiis Tribunitiis, ſi deeſſent candidati, Senatores exequitibus Romanis creavit; ita ut poteſtate tranſacta, in utro vellent ordine manerent. *Suetonius.*

Comitatum.

Senatores Rom. olim, qui curulem magiſtratum geſſiſſent curru in curiam vehebantur, honoris gratia, in quo curru ſella erat, ſupra quam conſiderent. Otium cum ſceptris, ſi duces, aut viri conſulares fuiſſent. At qui magiſtratum curulem nondum ceperant, pedibus in curiam ibant: & propterea Senatores pedarii nominaban-
tur. Hæc C. Baſſus in ſuis Commentariis. At M. Var- H
rò in ſatyra Menippea ſcribit, in Senatu Romæ alios fuiſſe Senatores, qui ſententias rogabantur, utpote à cenſoribus jam in Senatum lecti: alii non erant, nondum tamen in Senatorium ordinem à cenſoribus lecti, in Senatum tamen veniebant, eò quòd honoribus populi uſi eſſent: neque ſententia rogabantur, ſed quas principes dixerant, in eas deſcendebat. Et propterea Pedarii fuere dicti. Atteſtatur huic rei Laberii verſus: Caput ſine lingua, pedaria ſententia eſt. *Gell. lib.* 3. *cap.* 18. *Noct. Att.*

Fuit vetus Romæ conſtitutum, ut adoleſcentes ſenatorum filii, primo flore ætatis, parentes, & neceſſarios in veſtibulo curiæ opperiant, illoſque ſenatu egreſſos domum reducant, & comitentur. *Alex. lib.*4. *c.* 11.

Quot.

Cretenses decem habuere præfectos Senatorum loco, qui de rebus maximis decernebant. Apud Epidaurios centum & octoginta rempublicam adminiſtrabant, ex quibus nobiliſſimos